

2  
V I T A

JACOBI HENRICI  
ZERNECKII,

PRÆCONSULIS THORUNIENSIS,

SCRIPTIS, FATORUMQUE  
FAMA NOBILITATI,

EXPOSITA

A

M. JOANNE BENJAMIN *Dragheim*,  
DANTISCANO.

---

ACCEDUNT

DUÆ AMPLISSIMI VIRI DISPUTATIONES,  
ALTERA THEOLOGICA,

DE

STATU INFANTIORUM A GENTILIBUS

PROGENITORUM, CUM IN INFANTIA

DECEDUNT,

ALTERA JURIDICA,

DE

MILITE DESERTORE.

---

FRANC. ET LIPSIAE, MDCCXXXIII.

---

APUD BIBLIOPOL. GEORG. MARC. KNOCHUM.



Pol. 8. II. 1233  
Estr., XV, 303/4



VIRO  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, SPECTA-  
TISSIMOQUE  
D O M I N O  
MARTINO ZERNECKIO,  
Veteris, seu Primariæ Civitatis Thoruniensis  
SCABINO DIGNISSIMO,

Nec non  
NOBILISSIMÆ, HONORATISSIMÆ,  
OMNIBUSQUE VIRTUTUM GENERIBUS INSTRU-  
CTISSIMÆ

MATRONÆ,  
CATHARINÆ,

Piæ memoriæ  
JOHANNIS GEORGII ZOEBNERI,  
Consulis Thoruniensis,  
VIDUÆ SUPERSTITI,

illi,  
FRATRI,

isti,  
SORORI,

Amore mutuo  
IN FRATREM PRÆCONSULEM

Nihil sibi invicem concedentibus,

ET  
F I L I I S  
OPTIMI PARENTIS  
SVAVISSIMIS,

Cum  
PRÆSTANTISSIMO, CLARISSIMO, DOCTIS-  
SIMOQUE

D O M I N O  
HENRICO ZERNECKIO,

Juris Prudentiæ in Academia Witembergenfi Cultori  
hodie indefesso,

Tum  
ORNATISSIMO, FLORENTISSIMO, MAGNÆ-  
QUE SPEI TENERO JUVENI,

JACOBO ZERNECKIO,


Vestigia paterna quam optime sequentibus,

HANC  
VITÆ FRATRIS PATRISQUE  
EXPOSITIONEM

Dicat & nuncupat

AUTOR.

AD



## AD LECTOREM.

**A**Rma virosque canunt alii, alii præcos ritus illustrant, hic gradus processusque principis alicujus populi, ut ceperit, ut adoleverit, & ut denique conseruerit, sollicitius commemorat; ille res diuersas scribendo ætatem insumit, nec idem omnibus scopus est. Sæpe aliquis æstu inanis gloriæ absorptus chartam implet, ut scriptis in ævi senescentis memoriam euntibus, magnam sui famam occasione aliorum relinquat, qui omnino culpandus est. Illi e contrario laude sua non defraudandi sunt, & orbi erudito dudum perplacuerunt, qui historiam vel gentis inclytæ, vel vitam unius viri contexentes, posteros exemplis docent plus sæpe bona lege valentibus. Iudicia eruditorum plurima nobis suffragantium in scenam produceremus, si hac de re sub iudice lis esset. Hoc unum satis erit dictum, quod sapientis sit animi ad imitandum

optima quæque sibi proponere. Sed unde illa? an ex veterrimistantum temporibus derivanda sunt? Non adeo virtutum sterilia sunt secula nostra, ut non & bona exempla, eaque plurima prodiderint. Hæc inter JACOBUS HENRICUS ZERNECKIVS, *Præ-Consul Thoruniensis*, est, cujus ab ineunte adolescentia in literis industria, in muneribus exsequendis dexteritas, in rebus adversis constantia, quid aliud quam speculum sunt, in quo fugienda partim, partim agenda contuearis? Ingenue nobis interim confitendum est, quod nunquam forte Vita ejus publicæ luci fuisset exposita, nisi qua literæ magnorum virorum, qua preces Bibliopolarum eam denique ex manibus ejus extorsissent. Tantæ enim semper fuit modestiæ *Zerneckius*, ut omnia facilius quam prolixam de se, rebusque suis mentionem æquispati potuerit auribus. Spes proinde non decollat, a te quoque, Lector Benevole, hanc *vita Zerneckianæ* commemorationem, fuligine vanæ assentationis minime contaminatam, placidissima manu exceptum, & autorem ipsum mitius judicatum iri. Vale.

INDEX  
CAPITUM.

CAPVT I. De Nativitate Zerneckii.

II. De tempore in Scholis & Gymnasiis consumpto.

III. De vita Academica.

IV. De Peregrinationibus.

V. De Muneribus, quibus præfuit.

VI. De Scriptis.

VII. De Matrimonio.

VIII. De Fatis & casibus aduersis.

IX. De virtutibus Zerneckii moralibus.

VITÆ

VITÆ DOCTORVM  
VIRORVM,

OCCASIONE DATA IN NOTIS EX-  
POSITÆ, SVNT SEQENTES.

I. Vita D. Pauli Hoffmanni. p. 9.

II. Vita M. Johannis Sartorii. p. 12.

III. Vita M. Christophori Hart-  
knochii. p. 15.

IV. Vita D. Johannis Schmidii.  
p. 24.

V. Vita Albrecht Christiani Rot-  
thii. p. 26.

VI. Vita D. Johannis Joachimi  
Schœpfferi. p. 30.

VII. Vita Ephraim Prætorii. p. 57.

VITA





# VITA JACOBI HENRICI ZERNECKE.

CAP. I.

DE

NATIVITATE.

§. I.



JACOBVS HENRICVS ZERNECKE,  
Præ-Consul Thoruniensis, cujus vitam  
enumerare aggredimur, domi forisque  
fama dudum celebratus est. E quo-  
rum namque animo calamitatum, qui-  
bus paucis abhinc annis nobile Thoru-  
nium exponebatur, deleta nondum est

memoria, illi & Nominis Ejus, & constantiæ in adversis, & pu-  
ri in Deum veramque religionem amoris identidem recorda-  
buntur. Sed tantum abest, ut adversa duntaxat Sui ipsius &  
Patriæ fortuna in notitiam hominum pervenerit, ut Scriptis  
(a) etiam, in quibus multa cõmparet industria atque dexteritas,  
eruditis dudum innotuerit. Nemo proinde velim existi-  
met, hoc a nobis opus textum esse, ut Nomen Ejus nunc pri-  
mum

A

mum

---

(a) Vide Cap. VI.

num pervulgaretur, vel Ipse aliquam ex eo consequeretur gloriam, quod inclarescendi genus iis semper displicuit, qui majore animo honestatis fructum in conscientia quam in fama reponunt. (b) Plenius, ac quidem nondum factum est, Vitam Ejus explicare desiderantibus, & rebus memoratu dignis delectare ac prodesse lectoribus, hæc sola nobis scribendi fuit ratio. Quare veniamus ad rem propius.

### §. II.

Si veterum peræque ac recentiorum quorundam a veritate aliena non est opinio, quod ubique locorum ingenia hominum situs formet, felici sane Amplissimus Vir gavifus est patria. (c) Deterfa namque, cui literæ olim involutæ erant, caligine, uberem in Prussia sapientissimorum hominum omni ætate proventum quis eat inficias? Quid? quod etiam, quæ nascentem sinu excepit civitas, ferax adeo eruditorum sit, ut plurimos prodiderit. (d) Hæc ipsa urbs adulta Thorunium est,

(b) Recte *Plinius*: Sequi gloria, non appeti, debet: nec, si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum est. Lib. i. Epist. 8.

(c) Ingenia plerumque respondere naturæ locorum, sententia est, quam veteres quoque secuti sunt. Et *Cicero* suffragatur illi Lib. 2. de Nat. Deor. asserens: Atticos fuisse acutiores, propterea quia Athenis tenuè cælum & aër purior: Stupidos contra Thebanos, quoniam habebant aërem crassum & pinguem. E recentioribus idem sentit *Christophorus Augustus Heumannus*, Vir sua, quam varia doctrina meretur, laude cohonestandus, in Actis nempe Philosophicis Tom. I. pag. 631. §. 35. seqq. Contrarium tentavit defendere *M. Pbil. Frid. Hane* in Tractatu de ingeniis gentium borealium philosophicis; sed refutavit ipsum breviter *Heumannus* in Actis Philosophicis Tom. III. p. 228. seqq. Confer etiam, quæ hac de re *Job. Henr. Majus* in ipso statim Annotationum initio habet, vitæ *Johannis Reuchlini* annexarum.

(d) Quis exempli gratia inter Eruditos non novit *Nicolaum Copernicum*, 1473 Thorunii natum, Astrologiæ & Medicinæ peritissimum,

est, legum reverentia, splendore domuum, mercium e Polonia advectarum copia, templis scholisque, rebus insuper pace belloque gestis, diu jam vel ab Ipsomet Præ-Consule suo illustrata. (e)

§. III.

Hic loci A. O. R. 1672, Novembris decimo octavo natus, ipso autem subsequente vigesimo dicti mensis die, in Æde

A 2

D. Ma-

cujus vitam pulchre admodum Gassendus exposuit? Innotuere pariter orbi *Lucas von Allen* & *Johannes Abzieber*, Episcopi Warmienses, & *Sylvester Stobwässer*, Archi-Episcopus Rigenfis, de quo videatur omnino Chronicon Thoruniense pag. 86. His jungimus *Wilhelmum Haltenhof*, Medicinæ Doctorem & Collegiatum Lipsiensem, ibidem p. 97. Et quam illustris nominis sui conditor erat *George Wachschlager*, Cancellarius Aulæ Svecicæ & Consiliarius Regis intimus ob merita Baronibus annumeratus? Huc pertinet *Philippus Richardus Schræderus*, J. U. D. & Professor in Academia Regiomontana Publicus, Judicii Criminalis Aulici Adfessor, designatusque Judicii per Lithuaniam Aulicus Consiliarius, disputationibus scriptisque celeberrimus. Nec silentio involvendi sunt, qui in ipso Magistratu Thoruniensi fama gloriæ floruerunt. Vis *Gerhardum* & *Tillmannum ab Allen* adducam? aut splendidam *Lindenorum* familiam? aut *Strobänderos*, *Eskenios*, *Coyenios*, *Lichtfussos*, *Mochingeros*, *Prussos*, *Czimmermannos*, *Baumgartenios*, *Wachschlageros*, *Liesmannos*, aliosque? Facere id quam lubentissime, eorum nisi jam merita laudasset Præ-Consul in Chronico, omnino revolvendo.

(e) Hæc certe laus Thorunio propria est, si tempora antea acta respicimus. Equidem non immerito hodie suo sic ingemiscit malo:

Thorna prius fueram populis spectanda situque,

Orbis Sarmatici pulcher ocellus eram.

Sed me tempus edax consumpsit; rudera tantum

Antiqui servant nominis ista decus.

I nunc ambitio, turre ad sidera tolle,

Integra cum videas oppida posse mori.

Iisdem verbis *Henricus Christianus Henninius* in Annotationibus, quas Jacobi Tollii epistolis itinerariis adjecit, Budam veterem introducit conque rentem.

D. Mariæ sacro fonte ablutus, immortalis Salvatoris nostri beneficio, in castra Christianorum receptus est. (f) Tanti momenti, & omnis solatii plenissima, inter tot discriminum genera, inter acutissimas etiam tentationes, infractum plane & invictum pientissimo Viro reddidit animum.

§. IV.

Quod itaque ad ortum Præ-Consulis Nostri attinet, fortuna Virtutibus pari adjunctus est, Parentibus dignitate conspicuis, honestis, opibusque instructis, prognatus. Patre utebatur indulgente, JOHANNÉ ZERNECKE, Civitatis Thorunien-  
sis Consule, Viro, quod fucō procul & fallacia dicendum est, ingenui sanguinis, pio, æqui servante, muneris sui diligentissimo, cumque Collegis pro fortis necessitudine vivente. (g) In  
matri-

(f) Dies iste solis erat, & quidem XXIII. post Trinitatis festum. Annus nativitatis Ejus continetur hoc Chronosticho, ad Evangelium illius diei alludente:

RegIbVs in CensVM soLVite Vota Deo. MDCLXXII.

(g) Pie defunctus Amplissimi Præ-Consulis Pater Bergæ in Rûgia A. O. R. 1620, die 13 Februarii, Parente MARTINO ZERNECKE, Viro honesto, ibidemque gentium dignitate in Senatu conspicuo; Matre vero Catharina Græffin, Præ-Consulis filia, in lucem fuit editus. Utrumque parentem mors citius abstulit puero, ope & consiliis illorum maxime tunc temporis indigenti: Enimvero propinqua cognatione conjunctorum cura crevit, eaque addidit omnia, ex quibus olim fructum capere posset plurimum. Prima mōx ætate ad mercaturæ tractus cupiditatem, Johanni Möllero, Scabino & Mercatori Thorunensium olim primario, commissus est. Annis tirocinii peractis, nomen suum inter cives urbis, sui commodi & quæstus causa, profitebatur. Paulo post rei domesticæ auspicio conjugio prospiciendum esse ratus, Heri ante sui ac Patroni filiam anno 1652, die 3 Decembr. uxorem duxit. Prudentia deinde, pietate, & iis omnibus, quæ bonum civem decent, virtutibus conspicuus, anno 1663, die 3. April. veteris sive primariæ civitatis *Scabinus*, & 1698, die 12 Mart. *Consul* electus est. Hac Sparta ornatus, qua potuit dexteritate Deo proximoque sex annos inservivit. Tandem a. 1703, die 6 Augusti, ferven-

matrimonio habuit *Christinam*, (h) *Johannis Mölleri*, Scabini & Merca-

A 3

te urbis obsidione, dierum sature & honoris, inter armorum strepitus placida & beata morte, anno ætatis suæ 84, extinctus est. Funerum pompam summorum militis Saxonici Ducum, ceterorumque Præfectorum auxit frequentia, sponte sua, solo, quo in defunctum senem ferebantur amore, exsequias cohonestantium.

(h) In conjugio auspiciato cum marito vixit pia Præ-Consulis Nostri Genitrix. Viginti quatuor annos propitio Numine tori sociata, multa partem prole beavit; sex filii, duæ puellæ, eadem matre hac annorum serie sunt geniti. Primo partu edidit *Benignam* an. 1654 die 13. Nov. quæ Joh. Zöllero, Scabino, 1675 in matrimonium collocata, viginti quatuor annos nata, in ipso juventutis flore, 1678 vitam cum morte commutavit. Sequebatur puellam filius *Johannes* 1656, die 25 Januar. qui ostensus duntaxat parentibus, proximis a nativitate diebus præmatura morte exspiravit. Locum ejus occupavit *Samuel*, 1657, die 31 Aug. qui vita longiore gaudens, anno ætatis 69 mortem 1726 obiit Gedani. Quarta proles *Catharina* fuit, 1660 mense Julio nata. Hæc postea Joh. Georg. Zöbneri, Consulis Thoruniensis piæ memoriæ conjux facta, Joh. Georg. Zöbnerum 1688 die 20 Maji genuit, præclaræ indolis & ingentis spei juvenem, academiæ Lipsiensis clarissimis viris, & Præ-Consuli Nostro ob solidam plane eruditionem semper dilectissimum. Singularis ejus in literas amor nos impulit, ut paucis mentionem ejus hic loci injiceremus, cujus, si diutius inter homines fuisset, plura jam in manibus essent documenta. Opus unionis Anglicanæ ad finem propemodum perduxerat, & in collectione eruditorum Thoruniensium adhuc occupatus erat, cum inopinatâ morte & oculis Professorum, multo ipsum amore amplectentium, & laboribus suis, divini Numinis jussu, vigesimo tertio ætatis anno, Lipsiæ 1711. mense Febr. eriperetur. Post Catharinam hanc tantæ indolis filii matrem, in lucem edidit *Johannem* 1662, die 24. Dec. Scabinum Thorunensem, qui, postquam 60 annos vixerat, animam effudit. Filius ejus *Job. Samuel*, præclaræ spei juvenis, nunc temporis in Athenæo Gedanensi animum ad literas, præcipue Jurisprudentiam, asserit. Ut filius filium exciperet, enixa est *Andream* 1665, die 14. Junii, qui non amplius quadraginta quinque annos natus e vita excessit. Filius ejus *Andreas* hac tempestate in Academia vivit Lipstensi, Jurisprudentiæ studiosissimus. Tribus annis præterlapsis, an. 1668 die 2. Sept. quin-

Mercatoris florentissimi Filiam, matronam inter primas honestam, & multis virtutibus elucescentem, ex qua octo procreavit liberos, quorum dignissimus Præ-Consul erat ultimus.

§. V.

Hæc ipsa, ut rei familiaris tantum semper dedit operæ, quantum non indiligens debet materfamilias; ita quoque liberorum educationem curæ habuit, quamvis filio huic ultimum genito, minori quatuor annis nato, morte jam erepta fuerit. Equidem magnæ puero, fortuna sic indulgente, utilitati fuit, quod tenerrimo ætatis flore in matris suæ gremio quiescere, primaque corporis incrementa inter curas ejus & oscula capere potuerit. Cetera manus Parentis benigne supplevit, curam filii admodum dilecti nunquam ex animo dimittentis.

CAPVT II.

DE

TEMPORE IN SCHOLIS ET GYMNASIIS CONSUMPTO.

§. I.

**R**elatis hæctenus Viri Gravissimi ortu, Parentibus & Propinquis, nostri, porro instituti ratio postulat, ut impensiore cura id omne prodamus memoriæ, ex quo facile nemo non conjiciat, Zerneckium magna literarum cupiditate ab ineunte adolescentia flagrasse, Patriæ commodis postmodum stuiduisse, & tot fortunæ insultibus obnoxium, sola Numinis potestate in hunc usque diem salvum superesse & incolumem. Rem omnem a capite usque accersemus.

§. II.

Annis tenerrimæ ætatis feliciter peractis, ulteriore Prens fili

---

tum maritus ex ea sustulit filium *Martinum*. Tandem 1672, die 18 Nov. ultimum peperit, ut supra jam meminimus, *Jacobum Henricum*, Præconsulem Nostrum, cui ut ampliora vitæ spatia, & post nubila phæbus diutius contingant, Deum veneramur.

lii educatione nihil prius tenuit, probe gnarus, quod omnis inde totius vitæ pendeat expectatio. Proinde conscientiæ suæ consulturus, eos filio Gymnasii studiosos, de quorum dexteritate quam certissimus erat, domi præceptores fovit, qui puer, a natura ingenium docile habenti, prima literarum elementa subinde traderent. Nec optimum Patrem, doctrinæ magistris, summo in id studio incumbentibus, consilii unquam sui pœnituit. Equidem potior custodiendi pueri cura *Stephano Humio*, (a) præstantissimo tunc temporis juveni, hac conditione demandata est, ut commissum honestis disciplinis diligenter erudiret. Eo duce, re ex animi sententia succedente, multa se profecisse, hodie quoque grato in Præceptores animo recordatur Præ-Consul Optimus.

### §. III.

Artibus ingenuis, & veræ religionis principiis, quibus puerilis ætas impertiri debet, quam optime imbutus, urticæ instar mature urentis innatam ad studia indolem vividumque animum ostendit, nullius adeo rei quam literarum tractus cupiditate. Cum igitur non fallacia, quæ plerique Parentes avidè aucupantur, sed certiora præclari & ad sapientiam habilis signa animi ederet, ardentissimum a literis ingenium avocare Parens noluit, sinistri plerumque id eventus esse, expertus; sed omnem potius erudiendi filii curam adhibuit, spe non decollante, bona natum indole votis omnium & Majorum virtutibus respondurum esse.

### §. IV.

Ex privatis itaque publicis Gymnasii Thoruniensis lectionibus committebatur, ut coronæ discipulorum adjunctus calcæria currentibus vel ipse adderet, vel sibimet addi pateretur. Classe quarta primum exceptus Præceptore usus est *Michaële Bapzino*, (b) Cantore Mariano, diligentem præparationem studiis

(a) Hic ipse demum inferioris scholæ, quæ in Athenæo Gedanensi datur, Collega fuit primus & diligentissimus.

(b) Michaël Bapzinus is ipse est, cujus cantiones sacras volumen can-

diis ulterius prosequendis adhibente. Sic præparatus tertiæ porro classi datus est, in qua studiosæ juventutis moderator *Georgius Lebmannus* erat, vir sanctissime pietatem colens, ac ingenuarum artium scientia expolitus. Et sane, si felices dici possunt, possunt autem quam maxime, quibus a puero Præceptores pii, diligentes, & subacti iudicii contingunt, Zerneckium magna in ea re prosperitas consecuta est, quam viri sæpius magni nominis, iique plurimi, defuisse sibi, queruntur. (c)

§. V.

Non enim puer tantum ab egregiis ludi literarii magistris prima studiorum elementa imbibit; sed cum jactis porro fundamentis dignus lectionibus Professorum auditor supremi ordinis in Gymnasio civibus adscriberetur, hujusmodi etiam omnis eruditionis Promotores nactus est, quos studentium nemo vix voto meliores fingat. In ea namque studia ejus inciderunt tempora, quibus Thoruniense Gymnasium a primo sui flore (d) ad robustam quasi maturitatem pervenerat, quod respicienti illa plane confitendum est: Quinimo licet nostrarum  
mini-

---

tionum Thoruniense a. 1728 editum, exhibet p. 127 & 180, vena fluenti & pia compositas.

(c) Lectu certe digna sunt, quæ hac de re proposuit *Carolus Henricus Langius* in vita *Nicodemi Frischlini* cap. 1. §. 5. nota A, iis annuerandi, qui informationi talium præceptorum commissi sunt, de quibus conqueri opus est. Tristia sane hujusmodi fata expertus quoque est *Jobus Ludolfus*, referente Christiano Junckero in vita ejus florida ditione exposita p. 9. seqq. Plura facile possent colligi exempla, si nostri eadem instituti forent. Interim recte Petronius: Qui inter inidoneos nutriuntur præceptores, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant.

(d) Florere Gymnasium Thoruniense quam optime incepit tempore *Conradi Graferi*, qui 1611 Rector introductus est. Viri vastæ eruditionis fama ex Prussia & finitimis regionibus juvenes discendi cupidos eo traxit plurimos. Hoc namque 19 annos Rectore, Albo Gymnasii 1970, inter quos 157 Nobiles erant, inscripti sunt literarum studiosi. Plura de ipso vide in Chronico Thoruniensi p. m. 247.



minime sit partium, magnitudinem ejus pariter atque in semet hic loci ostendere, eandem tamen, sola clarissimorum virorum mentione, non obscure simul relatum iri, nulli dubitamus.

§. VI.

Ex iis primum jam obtineat locum *Paulus Hoffmannus*, (e)  
Theologiæ Doctor, vir solidæ eruditionis, scriptorum etiam  
B in

(e) Vitam Pauli Hoffmanni exposuerunt Henricus Pippingius in memoria Theologorum Num. XCIII. & Erdmann Uhsen in *Leben der Kirchen-Lehrer Seculi XVII*, quorum enarrationes in gratiam Lectoris mittemus in compendium. Verum enim vero ne actum agere videamur, ea certe adjecturi sumus, quæ ab iis plane non relata sunt, operam & oleum hac ratione non perdituri. Lucem vidit Breslaviæ anno 1630, die 31 Octobris. Et domi & in scholis prima literarum rudimenta edoctus in Gymnasium urbis Maria-Magdalenum introductus est, decem annos tanta literis animum diligentia adferens, quanta in multis merito desideratur. Anno 1648 almam studiorum matrem Wittebergam adiit, clarissimos toto orbe viros, Nothnagelium, Sperlingium, Sennertum, Buchnerum, Calovium, Meisnerum, Quenstedium, Kunadam, (ut reliquos taceamus) multo cum fructu tres annos audiens. Witteberga Lipsiam se contulit, studia magis magisque exculturus. Anno 1652 Lipsia Wittebergam iterum reversus examini Magisteriali sese submitit, & elaborata prius calculatione Solis & Lunæ eclipses, non indignum se hoc gradu virum præstitit. Magister philosophiæ creatus virium ingenii suarum publica disputatione fecit periculum, materiam chronologicam continente. Quid? quod vice plus simplici in cathedra Theologica bene stetit. Innocuis quibus præditus erat moribus, pietate haud cerusata, & doctrina literarum solida in gratiam multorum perveniens, innotuit quoque Generoso Domino ab Arnim, viro apud Ducem Saxonie auctoritate & gratia multum valenti, qui curæ & informationi ejus filios suos credidit. Haec prima ipsi ad majorem via fortunam erat, quippe Duce Saxonie Johanne Georgio II. Facultatem Lipsiensium Theologicam jubente, ut Principi suo de idoneo doctrinae Magistro prospicerent, Hoffmannum hac sparta ornandum esse, uno ore statuerunt. Et ecce! cum Serenissimus Parens in eadem re

in lucem editorum fama inter Theologos florens. Hoc au-  
spice,

suafu beati Welleri, animos Theologorum quoque Wittebergenfium exploraret, hi pariter Hoffmannum Johannis Georgii III. Informatorem declarabant, prorsus infciii, eundem suffragiis Lipsienfium jam commendatum esse. Memorabilis casus hujus nec Pippingius, nec Uhsen mentionem injecerunt, silentio tamen non involvendi. Hoc interim majoris momenti munus decem annos non inglorius gessit. Principe deinde Annam Sophiam, Regis Danorum Friderici III. Filiam in matrimonium ducturo, bis in itinere ipsum comitatus a confessione simul erat & concionibus. Peractis ex animi sententia peregrinationibus, uxorem duxit Virginem Margaretham Friesin, civis Dresdensis conspicui filiam, sed morte anno vix elapso iterum avulsam. Equidem ut moestum ejus animum Serenissimus Saxoniae Elector oblatis novis honoribus erigeret, sumptibus Ejus in Academia Wittebergenfi Licentiatus Theologiae declaratus est. Paulo post, Duce nuptiarum conciliatore, anno 1665 connubia iniit cum virgine Johanna Susanna, Archiatri Electoralis, Abrahami Birnbaumii filia, praesente Johanne Georgio III, personas Regis & Reginae Danorum literis id testantibus referente, cujus clementiae alii non meminerunt. Ex Conjuge hac altera octo suscepit liberos. Anno 1666 tertia vice cum Principe iter fecit in Daniam, nuptias celebraturo. Tunc temporis Orationem Latinam in Hafniensis arcis templo jussus habuit, Rege & Principe Christiano V, & Electoratus Saxonici Haerede Johanne Georgio III praesentibus. Sermone finito qua catena aurea, qua poculo inaurato donatus est. Domum reversus Doctoratum Wittebergae obtinuit, quo obtento Superintendens Torgae constitutus, quindecim annos officio praefuit. Interea temporis, quod alii omiserunt, Principi Johanni Georgio anno 1672 copias Saxoniae auxiliares ad Rhenum ducenti, a Confessione fuit, anno 1676 Torgam reversus. Quinimo ne cum aliis iterum praetereamus, quod minime praetereundum est, id quoque adjicimus, quod 1676, Duce Saxoniae Johanne Georgio II jubente, annum Secularem ob Formulam Concordiae 1576 Torgae conscriptam, prima vice celebraverit. Rebus omnibus Dux ipse interfuit, & cum eo gravissimi Saxoniae & Misniae Theologi. Colloquio vero in commodum Concordiae parato, & concione solemni finitis, qua Dux qua ceteri Theologi omnes in aedibus ejus, utpote Superintendentis, cibum ceperunt. Tandem

spice, rerum sibi Theologicarum notitiam comparavit, B. Königi Theologiam Acroaticam non sine magno auditorum fructu explicante. Idem ille commissos curæ suæ juvenes in spatiosum Historiæ Ecclesiasticæ campum bona fide duxit, quorum Præ-Consul Noster comes erat perpetuus. Neque tacendum est, quod illo pariter præeunte tempore hebraico sermone dederit.

## §. VII.

Satis etiam gnarus sacrarum Studio literarum Græcæ notitiam linguæ perquam esse necessariam, unus maxime nitentur, ut discipulis aliis ipse simul eadem erudiretur. Expectationem desiderii labore & industria explevit Wenceslaus Johannides, (f) vir Græcæ linguæ eloquentia disertissimus, quo

B 2

docen-

---

1682 Thorunium ad Ædem D. Mariæ Pastor, Gymnastii Rector & Ministerii Senior vocatus est, annos viginti duos officiis summa dexterritate functus. A Sparta tamen Rectoris, postquam 12 annos eam gesserat, ingravescente senectute sponte sua recessit, muneribus tantum ecclesiasticis operam collocans. Anno vero obitum præcedente adversa fortuna percussus est, quippe globis igneis a Svecis urbem obsidione claudentibus toties immisis, inhabitata domus flammam concepit, copiosam ejus Bibliothecam & suppellectilem omnem funditus evertentes. Tanta rerum omnium jactura grave animo ejus vulnus infixit, ut etiam paulo post hemiplexia correptus finem vitæ fecerit, peractis in hac miseriarum valle annis 73, mensibus 4, hebdomadibus 2, & 4 diebus. Quæ ingenii monumenta reliquerit, & in Novis Literariis Maris Baltici anni 1701, & in Pippingii memoria p. 1531 seqq. recensentur. Meminit quoque illius Gravissimus Præ-Consul in Chronico Thoruniensi p. m. 382.

- (f) Hic licet Wenceslaus Johannides, Kammeno - Lehotensis Moravus, scripta, quantum nobis liquet, orbi erudito non exposuerit, certum tamen est, quod Græcæ linguæ, fatentibus id ingenue discipulis suis, admodum peritus fuerit. Professor Thoruniensis factus 1675, mortem obiit 1701. Vid. Chronicon Thoruniense pag. m. 373, & appendix ejusd. pag. 219. Ephr. Prætorii Athen. Gedan. p. 215. Nova Literaria Maris Baltici ad annum 1702.

docente eo profectuum pervenit, ut pensa in calamum dictata ex Latina in Græcam linguam pulchre transferret.

### §. VIII.

Præsidium insuper eruditionis humaniores nimirum literas non neglexit, sed eo effusius semper adamavit, quanto magis humanitatis titulus moribus ejus convenit. Juvenes ea tempestate mitioribus studiis ad majoris fortunæ cultum informavit celeberrimus Professor Joannes Sartorius, (g) cujus erudien-

(g) Oblata dicendi de clarissimo Viro occasione, vitam ejus breviter enarrabo, iis forte incognitam, qui Programma funeri accommodatum nec habent, nec legerunt, in quo vitam Ipse suam eleganti calamo descripsit. Nascitur Eperiesini in Hungaria A. O. R. MDCLVI, die 21. Januar. Patrem habuit Joannem Sartorium, tunc temporis Pastorem acInspectorem dictæ jam civitatis primarium. Is ipse in exilium ejectus Gedanum venit, & paulo post in agro Dantiscanorum Stüblaviensî Ecclesiæ Trutenaviensîs Minister constitutus est. Matrem coluit Annam Wagneriam. Prima studiorum incrementa cum in scholis, tum in Gymnasio cepit patrio, & majora forte cepisset, nisi Professores quique a Clero Pontificio muneribus privati, terga loco dare debuissent. Anno proinde 1673 Wittebergam sese contulit, in Philosophia celeberrimos Viros Michaëlem Waltherum, & Christianum Donatum, in Philologia Balthasarem Stolbergium, in Theologia vero Samuelem Pomarium data opera auditurus. Ut studia prosequeretur ulterius, a Serenissimo Principe Würtembergiæ EBERHARDO, stipendio Ducali Theologico, quod Tubingæ est, re angusta domi pressus, clementissime donatus est. Sic adjutus piæ memoriæ Theologis, Tobia Wagnero, Balthasare Raithio, & Johanne Adamo Ofiandro Præceptoribus utebatur, defensaque sub umbone prælaudati Ofiandri disputatione publica, 1677 Academiam hanc reliquit. Iter deinde per Palatinum, Hassiam, & Ducatum Hanoveranum flexit, visisque civitatibus amplissimis Hamburgo & Lubeca, navem conscendit, & vento Gedanum dante, salvus & incolumis appulit, Parentem suum nova Sparta beatum visitaturus. Paulo post Wittebergam reversus, & 1678 Philosophiæ Magistris adscriptus, alios quidem docuit, ita tamen, ut studia Theologica magis magisque ipsemet excole-

diendæ juventutis dexteritatem Thoronium & Elbinga laudant,

B 3

nun-

ret. Eo fine immortalis gloriæ Theologorum, Abrahami Calovii, Meißneri, Quenstedii, Deutschmanni, Dassoviique lectionibus interfuit, editis sub præsidio Quenstedii & Deutschmanni binis Dissertationibus. Tandem anno 1682 informandis illustrissimi Comitum Ponti de la Gardie liberis destinatus, jamjam aditurus erat Sveciam, cum B. D. Pauli Hoffmanni (cujus ante meminimus) commendatione ab Amplissimo Magistratu Thoruniensi Professore se designatum esse literis intelligeret. Quantam diligentia & pertinaci labore utilitatem dederit, alii profiteantur. Ibi gentium conjugium etiam iniiit cum Rebecca, Præceptoris olim sui, Eliæ Fridhuberi, Filia Virgine. Hæc Patrem ipsum sex reddidit liberorum, e quibus unica hodie filia superest. Anno 1699 Elbingam vocabatur ad munus in Gymnasio Rectoris obeundum, quo se etiam Thorunio contulit. Equidem anno 1704 a Magnifico Gedanensium Senatu ad Professionem Eloquentiæ & Poëseos capeffendam accersitus, musis ac posteritati vacans, multos annos egregie docuit. Quot namque juvenes, viros hodie literis eximie imbutos, dedit Patriæ? Quam sæpe eloquentia ejus, data occasione, eluxit? Quoties Poësis ejus mascula, ætatemque latura? Quam exquisitam cumque facundia conjunctam antiquitatis notitiam subinde ostendit? Vera me dixisse, fatebuntur omnes, quorum non est alienas laudes parum æquis auribus accipere. Præterea pius, integer vitæ, & a vana laude semper alienus erat. Ad scripta quod attinet, orbi erudito exposita eorum plurima recenset Ephraim Prætorius in Athenis Gedanensibus ad annum usque 1713. Sequentia Lectoris gratia nunc addam. Anno 1717 Orationem Secularem habuit de Luthero fugientium literarum Statore, typis postmodum editam. Schediasma deinde literarium de CLYPEO Wittebergæ excudi curavit 1724. Porro hæc quinque non leguntur apud Prætorium Programmata, quorum 1) est de Godofredo Arnaldo, confilium Reformationis arrogantia insimulante, an. 1717. 2) de Servia Turcarum servitio subtrahenda, an. 1718. 3) de Juliano Imperatore a Christianorum ad Paganorum sacra transfuga, an. 1721. 4) de Pœna cogitationis, an. 1725. 5) de Indemnitate bonis naufragorum concedenda, an. 1727. His tandem eruditionis suæ confectæ speciminibus, an. 1729, die 27 Martii, diem obiit supremum.

nunquam non prædicabit Gedanum. Hoc duce capacissimum ingenium per amœniores literas circumtulit, non primis tantum labris degustandas, sed toto pectore ab eruditorum quovis hauriendas. Et quemadmodum Autores omnes tanquam ungues digitosque suos Vir iste novit præstantissimus, ita quoque ZERNECKIO & reliquis auditoribus Terentium adeo familiarem reddidit, ut præsentibus Scholarchis comœdias ejus agendo, personas alii aliorum, prout jussi erant, facile induerent.

§. IX.

Parem studiis ejus admovit operam Paulus Pater, (h) Vir  
qua

---

Jam ista tibi de Præceptore meo habe, Lector Benevole, cui si quid in me est humanitatis, si quid in literis elegantioribus doctrinæ, id omne, ut par est, libenter & ingenue acceptum Sartorio referam. Non addam, quam proficua mihi conversatio ejus fuerit, qua tamen ex Academiis reversus, vix duos annos, morte virum e medio tollente, frui poteram. Inscriptio ceterum, quam ipsi grati animi causa sepulchralem feci, quis quantusque fuerit, non obscure indicabit, & hujus tenoris est:

Mole sub hac lapidis tegitur Sartorius, in quo  
Uno Virgilius cum Cicerone jacet.

Hanc Summe Reverendus Dominus Frid. Opfergelt, Præpositus ac Praelatus Magdeburg. eadem motus in Præceptorem pietate, tali dignatus est interpretatione:

Wer den Sartorium im Leben hat gehört,  
Und den Geschmack recht kan von seinen Schrifften haben,  
Der spricht bey seiner Grufft, die er mit Danck verehrt:  
*Hier liegt Virgilius und Cicero begraben.*

(h) Optarem sane, ut vitæ ejus curriculum ab ipsomet compositum in eruditorum esset manibus, nescio quo casu perditum. Verum enim vero enarrante Christiano Gottlieb Jöchero in Lexici eruditorum appendice propemodum omnia, quæ de ipso memoratu digna videntur, nolo jam actum agere, ea tantum in medium scripta ejus, quæ nec Jöcherus notavit, nec in Athenis Gedan. Ephraimi Praetorii leguntur, prolaturus. Sunt ista, quæ sequuntur: Liber Παλαιφάτης περί ἀπίστων animadversionibus novis, doctrinis moralibus, gemino

qua fideralium rerum, qua latini sermonis, vel ipsamet fatente invidia, apprime peritus. Scripta illius intuenti constabit Veritas, incorruptæ latinitatis calamo & Pliniano identidem acumine exarata. Hi doctissimi viri ad eloquentiam ituro viam fecerunt. Ut vero faciles etiam haberet in carmine Musas, Johannem Rezigium (i) peridoneum ad Poëticam tendentibus Præceptorem diligenter adeo auscultavit, ut terfa faciliq̃ venæ sani coloris numeros brevi tempore funderet.

## §. X.

His jungimus M. Christophorum Hartknochium, (k) magnæ

itidem rerum & verborum indice auctus. Francof. 1686. 8. Passionis Dominicæ Organorum Conspectus Thor. 1694. Labor Solis, sive Ecclipsis, Christo patiente, Hierosolymis visa. ibid. 1700. Disputatio de Astrologia Persica. Ged. 1720. Quæstiones Biblicæ a B. Weismanno olim lingua Germanica conscriptæ, ab ipso autem magnam partem auctæ, & eodem idiomate in officina sua impressæ, Ged. 1722. Disputatio de Mari Caspio. Ged. 1723.

(i) De Johanne Rezigio, Koroscheno Hungaro vid. Chronicon Thorunense p. m. 391. & in appendice pag. 221.

(k) Vitam Viri hujus & apud Borussos & alios virtute doctrinaque celeberrimi, ut pariter exponamus, æquum est. In vitam introiit *Jablonkæ* (qui locus bina milliaria Passenheimio distat) a. 1644. Quod ad mensem diemque nativitatis attinet, ipsomet Hartknochio ignorante, referre illos non possumus. Id autem nulla in ipso fuit negligentia. Qui enim scire utrumque potuit, parentibus mature extinctis partim, partim documentis omnibus igne consumptis? Patrem habuit *Andream Hartknoch*, Ludimagistrum Jablonkensem, postea vero ejus loci Diaconum, tandemque Pastorem Passenheimensem. Matrem coluit *Catharinam*, *Johannis Essedarii*, Verbi Divini Ministri Targowiensis Filiam. Avus ipsi fuit *Thomas Hartknoch*, Ecclesiastes. Proavus *Stephanus Hartknoch*, faber serarius. Is ipse ad eam pervexit ætatem, quam inter aliquoties centenos vix decimus quisque hac tempestate obtinere legitur, annos namque centum & triginta natus erat. Quid? quod matrimonium ejus intra Seculi spatium mors non dissolverit?

gnæ dignationis Virum, & rerum memoriæ non indiligentem, qui

Rara avis in terris nigroque simillima cygno!



Noster e contrario Hartknochius infirma adeo premebatur valitudine, ut puer etiam vice plus simplici in mortis fuerit faucibus. Morbis tandem, quoad fieri potuit, sedatis, a Parente suo informationi Michaëlis Battalovii, Scholæ Rectoris Patriæ, tradebatur, magnam erudiendo puero diligentiam adhibentis. Primis his pueritiæ annis multa insuper mala & pericula Hartknochius expertus est, in quibus divinam manibus quasi palpare potuit Providentiam. Decimum agens annum prope molam urbi adjacentem se loturus in aquam incidit, cujus concitato cursu per cancellos rotæ molari admotus est. Hæc puerum extemplo rapuit, raptumque intra se devolvit, sed (mirum sane dictu est) vivum & incolumem. Nulla corpori ejus inflicta erant vulnera, levi frontis cicatrice excepta, quam forte acuto fluvii & arduo lapidi allisus acceperat. Annis vix duobus peractis mala malis succedebant. Polonis enim 1656 Passenheimio ignem inferentibus, & incolarum plurimos ferro trucidantibus, a Rectore suo Battalovio per moenia e schola demissus est, ut fuga sibi consulere. Sed par utrimque discrimen erat, fugiensque viam leti calcavit. Lacus aderat, qui vix ac ne vix quidem ripas gelu junxerat, quem magna civium timore hostis correptorum multitudo simul ingressa est, ad solitudines atque sylvarum latebras confugitura. Quisque vero fugientium toties se aquis immersum iri ominatus est, quoties pedem plus ultra movit, tanto siquidem ferendo hominum ponderi glacies recens orta par esse non poterat. Sed transportavit singulos Divino tutos Numine, & equites hostium, sanguinem sitientes, fragilitate sua tardavit. Parentibus itaque sede & bonis suis hoc infortunio orbatis, multa studiis ejus impedimenta injecta sunt, donec tandem 1657 Regiomontum veniens a Rectore Scholæ Urbis Veteris, *Sebastiano Mollero*, tertiæ Classi annumeratus est. Anno autem eodem Parente utroque, peste in vitam hominum invadente, mortuo, diutius hic gentium vivere non potuit. Tunc curam ejus in se suscepit *Andreas Caspari*, Rector Scholæ Gartensteiniensis, cujus Præceptor Hartknochii nostri Parens olim fuerat, cumque data opera tres annos informavit. Jactis studiorum fundamentis dignus Academia civis censebatur. Equidem multo Noster in literas humaniores ferebatur amore, quas ulterius addiscendi gratia,



qui licet per omnes propemodum vitæ dies ægra & adversa premeretur

C

Regiomontum, laude Rectoris sui ornatus, iterum se contulit, & anno 1660, a *M. Henrico Bussenio*, Scholæ Kneiphoffianæ Rectore, primæ Classi datus est. Anno 1661 literis propinqua cognatione conjunctorum rogatus Passenheimium se convertit, bona ex hæreditate sua accepturus. Rebus ibi compositis Regiomontum rursus meditans, in febrem incidit, sex menses lecto affixus. Sibi restitutus, 1662, Rectore Universitatis Regiomontanæ Magnifico, *M. Stephano Gorlovio*, nomen suum inter cives Academicos professus est, moxque lectionibus Dialecticis *M. Alberti Tbilonis*, Phycis *M. Georgii Dammenii*, Poëticis *M. Johannis Kælingii*, Metaphysicis *M. Lamberti Stegeri*, Theologicis *D. Christiani Dreierii*, & *Melchioris Zeidleri*, sedulus auditor interfuit. Sed mediis vivendi destitutus ex Academia tandem abiit, Informatoris sparta in Lithuania in ædibus Wolfovitzii, Medicinæ Doctoris, fungens. Vilnam deinde ad Rectoratum Scholæ Augustanæ Confectioni addictæ vocabatur, quod etiam munus 1665 in se suscepit. Quoniam autem Pastori Ecclesiæ unico, *D. Pesarovio*, opem ferre concionando sæpe debuit, mox animadvertit, quid valerent humeri, quid ferre recusent, metuitque vires suas tot laboribus, quibus ferendis non erat, penitus fractum iri, quippe unius hebdomadis spatio quinque sæpe orationes, qua germanico qua polonico sermone recitandas habuit. Et eventus sane id docuit. Haud paulo post morbum nanciscebatur, spem omnem salutis omnium judicio tollentem. Dum vero adjuvante Deo cum valetudine in gratiam inopinato redierat, Seniores Ecclesiæ valere iussit, octodecim menses officii fatigatus. Anno proinde 1667 Gedanum pervenit, Lubecam Rostochiumque abiturus. Sed animum peregrinandi mutavit, *Heinio*, ad Ædem SS. Trinitatis Ecclesiastæ, spem ei bonæ informationis injiciente, Gedanique manere decrevit. Rebus autem suis præter opinionem Regiomonto non succedentibus, eo reversus est, novisque intervenientibus impedimentis, loco non recessit. Tunc temporis a *Martino Sylvestro Grabe*, Doctore & Professore Theologiæ recipiebatur, ut binos nobili stemmate natos juvenes honestis disciplinis diligenter imbueret, a *Rauten* alterum, alterum *Job. Georg. a Kalnein*. Hac data occasione Professorum lectiones simul visitavit, & publice sub Præsidio *M. Martini Babatii*, qui ipsemet pro loco ordinariæ Professionis Græcæ linguæ, de 72 Interpretibus disputabat, Respondentem 1688



meretur valetudine, nimia forte studiorum consuetudine multum aucta, magnam tamen aliis informandis curam impendit.

Eo

summa cum laude egit. Interea ipsi officium Ecclesiasticum in urbe Slucko in Lithuania oblatum est. Sed ecce! jam jam abiturus, sanguinem rejicere & iniqua iterum vexari cepit valetudine, iter omnino impediante. Sex menses tamen hoc ipsi officium patuit, quibus praeterlapsis, speque salutis perdita, dimissus est. Consiliis deinde Medicorum persuasus caelum mutare induxit in animum. In praedia itaque Domini a *Kalnein*, haud procul Regiomonto sita, sese contulit, filium ejus consueta porro informatione exculturus. In alto isto pinguique secessu studiis se ex animi sententia adjiciens, partes Ephori peregit, donec tandem *Johannes George a Kalnein* ad altiores scholas abitum pararet. Eo misso, ad Fratrem Domini hospitis sui, *Albrechtum a Kalnein*, Regiminis Consiliarium 1670 accersitus, tres filios suos dexterrima institutione in artibus & disciplinis Regiomonti duos annos erudivit. His quoque muneribus liberatus, Magister Philosophiae creatus est, & quinque annos aedes *M. Johannis Kölingii*, Poëseos Professoris inhabitavit, lectiones Dialecticas, Analyticas, Oratorias, Ethicas, Politicas, Geographicas, Historicas, Physicas, & Metaphysicas Studiosis aperiens, quas etiam adminiculante Deo non sine audientium emolumento ad finem perduxit omnes. His quinque annis Praefes disputationes aliquot defendit, quas cum ceteris scriptis ejus recenset Ephr. Praetorius in Athen. Gedan. p. 216. seqq. Ut vero virium etiam in Theologicis periculum faceret suarum, Praefide *D. Sam. Wernero*, pro loco extraordinariae Professionis in Facultate Theologica, de salute infantium non baptizatorum disputante, Respondentem se praestitit. His implicitus negotiis Professor a Senatu Thorunienfi anno 1677 vocabatur. Fata sequens, tertio Junii die ibidem introductus est. In celebri hoc Gymnasio perpetua inter morborum genera officii sui fuit diligentissimus, & tot contextis in historia scriptis, bonae mansuraeque famae immortalitatem sibi comparavit. Anno tandem 1687 morbis & laboribus exhaustus, pia morte die tertio Januarii obiit, postquam caelebs annos 43 inter homines versatus fuerat. Vir praeterea fuit pietati deditus, optimus, honestissimusque, qui brevi dierum spatio memoriam sui quam maxime longam effecit. Vid. de ipso Chronicon Thorunienfe p. m. 376. & append. p. 219. Hen. Witte in Diar. Biogr. ad annum 1687.

Eo namque historiarum cognitionem, gentium mores ac ritus, multiplici varietate auditoribus communicante, in studiis bene processit. Diu autem ab ore Viri laudibus abundantis pendendi felicitatem non habuit, vitam citius cum morte commutantis. Equidem, quod Hartknochio ex hominum vita demigrante amiserat, recuperavit omne in Lectionibus Martini Böhmi, (1) vario doctrinæ genere celebratissimi apud Thorunienfes Professoris. Hujus fruens institutione, Historiæ, cujus jam initium fecerat, ita porro incubuit, ut arduum hoc studium non frustra ab ipso tentatum esse, quisque jam intelligat. Eodem etiam Doctore Philosophiæ, artium reginæ, virtutumque magistræ se asseruit, inoffenso pede altiores deinde disciplinas percursurus.

### §. XI.

Ecquis jam est, qui inficias eat, Thorunium ZERNECKIO prouti nascendi locum dederat, dedisse præstantissimos peræque virtute & studio Præceptores? Filios enim suos fingi & ad publica officia erudiri nisi ab optimis quibusque noluit laudatissima civitas. Proinde illorum toties adhuc meminit Præ-Consul noster, quoties suavem juventutis suæ memoriam recordatur. Quid? quod ne mortuis quidem pia referre gratias mente desinat.

### §. XII.

Nec minus Præceptores Juvenem, diligentia & probitate insignem, in deliciis habuerunt singuli, eique occasionem sæpius largiti sunt, qua præclaras animi dotes Patronis comprobandas daret. A ludis igitur inter Studiosos, ut tunc moris erat, institutis non alienus erat, sed jussus, ut staret comœdia, in scenam prodiit, habitu plerumque ob morum elegantiam muliebri indutus, quo virilem jucunda simulatione textit animum, multorum in se convertens oculos. Oratoriorum etiam pars magna fuit Actuum, probe gnarus, scire nostrum nihil es-

(1) Vid. Chronicon Thorunienſe p. m. 385.

se, nisi scire nos, id sciant alii. Et ne ulla ipsi rebus bene gerendis exhausta foret materia, Musarum pariter interfuit Comitibus, a prælaudato Professore M. Martino Böhmiö convocatis, in quibus deliberandum erat, cui præcipue studio opera sit danda juveni? Commendavit Theologiam alter, alter Philosophiam, alii aliam scientiam; ZERNECKIVS vero verba fecit pro *Historia*, sorte hoc ipsi themate oblato, suosque, relata illius utilitate, commilitones stimulat, ut multum præ cæteris in eam conferrent diligentiam, non sine omni sane augurio, *Historiam Thoruniensem* a se olim contextum iri. Rem ipsam, Præ-Consule Nostro, anno ætatis quadragesimo, Chronicon emitente, eventus fat abunde docuit.

### §. XIII.

Tot editis diligentiam fructibus, tempus tandem visum est, ut arbor ista opportune transposita plenum eo citius robur colligeret. Et licet natale solum plerumque sua nos ducere soleat dulcedine, ipse tamen sponte sua locum alium novosque Præceptores optavit, majora subinde studiorum capturus incrementa. Longe lateque tunc temporis in Athenæo Dantiscano ferventium literarum fama exierat, qua commotus Musis Penatibusque patriis valedixit. Anno proinde 1692, die 14 Julii, avido discendi animo, sub excubiis Divinis, auspicato Gedanum appulit, tecto mensaque pie defuncti D. Sam. Schelgvigii ex animi sententia commodum exceptus. Appulit autem non eorum instar, qui ad vota Parentum properantes ex inferioribus in altiores Scholas cruda adhuc studia propellunt, sed tanta omnino instructus doctrina, quanta ad intelligendum in Cathedra Professore sufficit.

### §. XIV.

Hic nihil operæ in literis non collocavit, egregie inceptam studiorum telam pertinaci labore pertexturus. Ad majores itaque eloquentiam gradus pervenit, præeunte *Christophoro Bebrio*, Viro cum omnis generis eruditione, tum vel maxime  
Lati-

Latinae linguae gloria praestantissimo. Mentem porro suam disciplinis Philosophicis excoluit, *Johanne Christophoro Rosteu- sbero* dogmata praeclearae hujus scientiae auditoribus impertiente. In linguis Graeca & Hebraica profecit, *Constantino Wolffio* ad intimam cum illis familiaritatem discendi cupidos formante. In Historicis *Johannem Schultzius*, in Mathematicis *Fridericum Bütnerum* docentes secutus est. (m) Praecipuum vero felicitatis suae argumentum ratus est, quod B. D. *Samuelem Schelgwigium*, non hospitem tantum & consiliorum omnium Autorem, sed in rebus etiam Theologicis Praeceptorem coleret, ad quem audiendum turmatim confluebant juvenes. Nec vanam profecto de fortuna sua opinionem tenuit. In propatulo est, quot ille doctos ab ore suo Ecclesiae Viros dederit, quo ardore illibatam semper fidem defenderit, & quot adversarios dilutis cariosae opinionis argumentis retulerit. Merita ejus & immortale nomen

- - - nulla filebunt

Lustra, nec obducta rapiet sub nube vetustas.

Maximum praecipue fructum ex iis Beati Viri lectionibus cepit, quas super Breviculum Scherzeri & Chemnitii Examen instituit. Non dicemus, quod inter eos fuerit, quos in aede D. Annae concionantes viva voce correxit, melioraque docuit.

### §. XV.

Obtenta fidei & Religionis verae notitia, memoriae donorumque a Deo datorum facturus periculum, concionem sacram Festo Visitationis Mariae 1693 prima vice in templo Wonenbergensi habuit, proprio Marte compositam, & uno praesentium ore probatam. Ejusdem anni die 8 Julii, comite fratre carissimo *Andrea*, Gedano Elbingam profectus est, ibidem-

C 3

que

(m) Vitas horum post fata quoque nominis celebritate florentium Virorum prono exponeremus calamo, nisi re a beato Praetorio in Athenis Gedanensibus magna ex parte peracta, post Homerum caneremus Iliada.

que *M. Ernestum Königium*, doctissimum Virum salutavit, eique commendatione Domini Hospitis sui, Doctoris Schelgvigii, gratus adeo fuit, quam qui gratissimus. Elbinga Regiomontum iter data occasione flexit, & D. Sandium disputantem Professo- resque legentes auscultans, quicquid in urbe insuper visu dignum esset, curioso animo perlustravit. Deinceps Gedanum studia consueto more profecuturus rediit, inopinato in febrim incidens satis molestam, & nonnisi vertente anno discedentem. Sed tantum abfuit, ut morbus iste moram studiis ejus injiceret, ut potius plus operæ ad capeffendas literas conferret. Ne impedire febris quidem potuit, quo minus arenam Disputantium ingrederetur, quippe jam dicti anni die 18 Octobris, Præside Summo Theologo D. Schelgvigio, Disputationem undecimam, Quackerismo Confutato insertam, publice defendit, inter ipsa febris invadentis frigora suum contra stolidam tremulamque gentem ardorem ostendens. Continuavit insuper hic loci studia, ut magis magisque ad Lectiones Academicas præparatus, & multo quasi fœnore repletus abitum pararet.

### CAP. III.

DE

## VITA ACADEMICA.

### §. I.

**P**ersuasus tandem, tanta se omnino doctrina excultum esse, quanta in Academiam ituro necessaria est, Musis Gedanensibus relictis, anno 1694, die 26 Februarii, iter primum direxit Thorunium, Patriæ, Parenti, & Propinquis valedicturus. Peractis domi quinque hebdomadibus, viam die sexto Aprilis ingressus est, & varias Poloniæ urbes peragrans, Linsnam pervenit. Haud diu ibidem moratus, in Silesiam pedem intulit, Wratislaviamque salutavit, ubi, quæ oculos & animum delectant, scituque digna sunt, vidit omnia.

### §. II.

## §. II.

Sic confecta jam itineris parte, alteram quoque superare annisus est, & Lignitio, ibidemque sepulchralibus Principum monumentis, Budissa etiam, & Gorlitzo illustratis, Dresdam saluus & incolumis appulit. Ex Urbe hac Nobilissima, ceu utiliter peregrinantem decet, nonnisi cognitis rebus memoratu dignis, visisque Saxoniae Electore Johanne Georgio IV, & Serenissimo Fratre Friderico Augusto, recessit. Tetendit denique Lipsiam, Apollinis & Mercurii sedem tot annos florentissimam, eamque die 20 Maji ex animi sententia intravit.

## §. III.

Hic gentium nullam augendi studia occasionem praetermissurus, mox de hospitio victuque, utrumque praebente D. Christiano Weidlingio, prudenter sibi prospexit, & Musarum Sacris a Johanne Bohnio, Medicinae Doctore & P. P. tuncque temporis Rectore Magnifico, initiatus est. Tantum vero abest, ut Weidlingium, Juris & Philosophiae peritissimum, suum duntaxat vocaret hospitem, ut eodem peraeque, multo cum fructu, Praeceptore usus fuerit. Eo enim cautelas Oratorias, principiis Weissianis inservientes, auditoribus communicante, illis se Prae- Consul Noster adjunxit, ut jactis jam artis hujus egregiae fundamentis, pulchrum superponeret aedificium.

## §. IV.

In Philosophiam consueto insuper ferebatur amore, enixus dans operam, ut diligenti auscultatione, quicquid deerat, identidem suppleret. Logicam proinde, Metaphysicam, Ethicam, Politicam sub institutione praeaudati Weidlingii tam diu repetiit, quoad ipsum, quantum profecerit, non poenituit. Jus deinde Imperiale Jacobi Thomastii, nec non Institutiones Juris Naturalis & Gentium, a Jano Klenckio in compendium missas, explicantem auscultavit sedulo, magnum ipsi postea in rebus arduis adjumentum afferentes.

## §. V.

## §. V.

Ut vero cum Physicis quoque naturæ claustra confringentibus bene saperet, sedulum se experimentorum Augusti Quirini Rivini observatorem præstitit, suos non tantum amatores delectantium, sed iisdem etiam utilitatem haud exiguam reddentium. Inter hæc Linguam Hebraicam, quo cœperat ardore, porro excoluit, privata M. Christiani Zoëgæ informatione quam optime adjutus.

## §. VI.

Plurimum tamen temporis Theologiæ impendit, talis olim Minister Dei futurus, qui veram e suggestu religionem & recitaret coram populo, & contra insultus adversariorum forri pectore defenderet. Plenis ea tempestate viis ad Johannem Schmidium (a) auditores ibant, Theologum nulla ex parte

- (a) Si qua alterius, vita sane *Johannis Schmidii*, Theologi Lipsiensis, annis meritisque gravissimi, longiorem meretur expositionem, quam prono etiam calamo Lectorum oculis subjicerem, Programmatis nisi in obitum ejus compositi, & Bibliothecæ jam inserti Theologicae, otium mihi fecisset Autor. Verum enim vero sicco penitus pede merita ejus præterire, vix ac ne vix quidem mihi licitum est, quod plurimum doctrinae Theologicae acceptum illi grata mente refert Zerneckius. Lucem vidit Wratislaviae anno 1649, die 14 Augusti, Parentibus prognatus honestis integerrimisque, Patre scilicet Johanne Schmidio, Cive rei linteariae dedito; Matre vero Eva Rotheria. A primis statim unguiculis magno literarum amore ductus, Gymnasii in patria Elisabethani civibus ut adscriberetur, optavit. Voti compos Sartorio primum, & Georgio Wendio, Rectore postmodum Gymnasii Thoruniensis dignissimo, deinde Martino Hauckio, & Johanne Gebhardo ducibus doctrinae cepit elegantioris incrementa. Rebus vero Theologicis & linguarum cognitione imbutum reddiderunt Acoluthus & Ezlerus. Anno 1669 Lipsiam se contulit, Johanne Oleario Rectore tunc temporis Academiae, Studiosis annumeratus. Quo factò mox Scholas Philosophicas Jacobi Thomassii, Menckenii, Felleri, Rechenbergii, Cypriani, maxime vero Valentini Alberti in-



parte non egregium, ad quem audiendum se pariter contulit.

D

Proin-

defessus frequentavit, Carpzovio linguas Hebraicam, & Oleario Græcam docentibus non neglectis. Sed quis tantam in ipso diligentiam fructus sequebatur? Baccalaureatus, primus nempe in Philosophia gradus, vertente anno ab Academia ipsi collatus, ad quem se esse habilem, bis respondendo e cathedra probavit. Sequenti anno Magister creatus majora eruditionis edidit specimina. Quid? quod Præses plures quadraginta Dissertationes Philosophicas, easque majoris momenti, acriter defendit, diligentissimos semper viros imitatus. Non dicam de Lectionibus ejus, quas per totum vitæ suæ tempus in auditorum commoda habuit continuas. Ne vero Philosophiæ studio Schmidium aliquis ita occupatum fuisse arbitretur, ut Theologiam neglexerit, referendum omnino est, quod ab ore Kromayeri, Mœbii, Rappolti, & Scherzeri sedulus auditor pependerit, binisque Disputationibus Anti-Sozinianis, sub Scherzero partes Respondentis cum laude peregerit. Demonstrata sic eruditione sua, anno 1679 in Collegio B. Mariæ Virginis Collegiatus, & anno 1692 Præpositus ejusdem suffragiis omnium destinatus est. Anno 1683, inter Assessores Ordinis Philosophici nomen professus, Eloquentiæ Professionem Publicam paulo post obtinuit. Anno 1685 Licentiatus, prævia Dissertatione de victoria Christi gloriosa ad Coloss. II. 15, & 1699 Doctor denique Theologiæ, habita iterum Disputatione de multiplici animarum in corpore reditu, publice renunciatus est. In ipso denique seculi sine spartam Theologiæ extraordinariam sibi demandatam recepit. Anno 1697 stipendiorum Electoralium Ephorus, & an. 1716 Consistorii Electoralis Assessor designabatur. Anno 1711 ab Academia quatuor Nationibus Decemvir, & 1723 Nationis Polonicæ Senior declaratus est. D. tandem Cypriano ad superos evocato, Academia Senior totius venerabilis extitit. Et quid? Novies Decani in Ordine Philosophorum, quater Pro-Cancellarii, octies Rectoris Magnifici muneribus fungens, omnium se præconiis dignum fecit. Disputationes insuper Theologicas concatenatas inter Lectiones XXIX in usum auditorum typis excudendas dedit. De statu ejus domestico id maxime dicendum est, quod matrimonium an. 1685 cum Virgine Anna Salome, Christophori Georgii Schultzii, Ordinis Senatorii & Ædilis Lipsiensis olim spectatissimi, Filia virtutis laude celebrata contraxerit. Duos ex illa suscepit liberos, Filiam scilicet

Proinde adfuit qua Danhaueri Hodofophiam, qua Scherzeri Systema explicanti, eoque pervenit notitiæ, ut disputantium arenam non refugeret, sed eodem potius Præside, dicti Systematis veritates, vice plus simplici, intrepido adversus contradicentes animo tueretur.

### §. VII.

Magno illi insuper usui erat Albrecht Christian Rotthius, (b) pomeridianus ad ædem S. Thomæ Ecclesiastes, cujus cum

---

Annam Elisabetham, in ipso vitæ exordio mox extinctam, & Johannem Valentinum, Juris Utriusque Doctorem & Practicum. Dierum tandem satur & munerum, sic jubente Creatore suo, annos prope modum octoginta duos natus, an. 1731, die 31 Maji, diem obiit supremum. Professor Publicus quadraginta sex, Alumnorum vero Electoralium Ephorus triginta quatuor annos vivens, post fata se immortalem reddidit.

- (b) Albrecht Christianus Rotthius, S. Theologiæ Baccalaureus, & Ecclesiastes Lipsiæ ad ædem D. Thomæ pomeridianus, prima vitæ suæ incunabula cepit Offenhausii in Thuringia, anno 1651, die 12 Januarii. Patrem habuit Johannem Rotth, inter Succos sub Tribuno legionis Lilienstrophinio militantes vexilliferum. Matrem amplexatus est Christinam, Andreæ Dörffleri, jam dictas inter copias Concionatoris militaris filiam. Patre ejus anno 1659 in prælio adversus Danos cadente, educationi duntaxat carissimæ matris suæ relictus est, ad quam, exsplendescentibus in puero corporis & animi dotibus, quantum semper potuit, impigre contulit, piis eum erudiendum tradens Præceptoribus. Sonderhusium deinde veniens, opem Scribæ cui-dam in tablino duos annos tulit. His præterlapsis civibus Gymnasii Hallensis annumeratus est, & docentibus ea tempestate Johanne Martio, Collega tertio, Con-Rectore Martino Lipenio, maxime vero Rectore Valentino Bergero (cujus etiam liberis præfuit) in studiis processit. Sat diu hic moratum & annorum series, & ipsa, qua pulchre instructus erat, doctrina ad Academiam vocabant, sed rerum omnium egenus qui studia prosequi poterat? Enim vero mox ipsi Athenas proficiscendi occasionem dedit Johannes Grellius, Pomeranus, ejusque olim condiscipulus, a quo Jenam literis invitatus cito

cum observandæ tum amplificandæ religionis studium plane

D 2

fuit

se pede contulit. Anno, & quod forte excurrit, peracto, domum quidem reversus est Grellius, sed nova ipsi Georgius Lilien, Berolinensis, beneficia suppeditavit, ut nulla victus & amictus cura vexaretur. Binos pene commodis hujus Juvenis annos inservivit, inserviturus porro, nisi e re sua fuisset, anno 1675 Magisterii gradu insigniri, ob animum varia morum honestate & doctrina compositum, soluta tantum dimidia sumptuum parte, ipsi collato. Paulo post bonis iterum & facultatibus exutus, Halam adiit, ibidem a Vidua Vollrathi Drachstädi ad informandum filium receptus. Erudivit commissum fidei suæ duos annos, eruditumque Juvenem Jenam duxit, una cum ipso in ædibus B. Professoris Velthenii habitans. Hic loci doctrinæ specimen in lucem editurus, Disputationem de ambitu humani meriti, applaudente Academia, defendit. Aperuit postea desiderantibus Collegium Ethicum a majori, quam pro magnitudine Musei, Studiosorum copia frequentatum, unde Auditorium ei Hospes sponte sua concessit domesticum. Læctionibus his ad umbilicum deductis, Providentia divina Halam vocatum tertiæ Gymnasii classi an. 1677 Præceptorem præfecit, ubi spartam progressu temporis Con-Rectoris & demum Rectoris an. 1683 in se suscepit. Ne vero pulveri scholastico penitus immergeretur, an. 1689 Diaconus superior ad ædem D. Ulrici electus est. Equidem nec inter eas quidem officii partes animum a promovendo juventutis commodo abducens, in usum ejus Notas Historico-Philologico-Philosophicas, officia Ciceronis enodantes, additis aliquot disputationibus, prelo dedit. Anno 1692 Lipsiam ad munus in æde Thomana Concionatoris Meridiani obeundum accersitus est. Subsequente anno Gradu Baccalaureatus in Theologia ornabatur, quem, docta de Trinitate Platonica disputatione, sub umbone Johannis Benedicti Carpzovii defensa, suum fecit. Scholas deinde Theologicas vice plus simplici aperiens ab audientibus magni semper æstimatus est. Doctoribus vero Lehmanno & Carpzovio mortuis, e meridiano pomeridianum Senatus fecit Concionatorem. Ad matrimonia ejus quod attinet, primum iniiit an. 1680, cum Virgine Anna Eleonora, Johannis Katzschi Administratoris Præfecturæ Sittichenbachensis Filia, ex qua novem liberos, tres filios, filias sex suscepit. Hac rebus humanis exempra, in alterum anno 1696 descendit connubium, cum Virgine Margare-

fuit eximium. Hunc, quod ad libros Ecclesiæ nostræ Symbolicos attinet, Præceptorem habuit dexterrimum. In Homileticis & Hermeneuticis Johanni Georgio Pritio, Ministerii hodie Francofurtensis Seniori optatos debet progressus. Enim vero ut ad casus peræque Ministro Dei semper obvios præpararet animum, Collegio Pastoralis Seligmanni Doctoris diligentissime interfuit. Cetera, ne prolixi videamur, silentii peplo involvimus.

### §. VIII.

Memoratas hastenus Lectiones ea, qua ingenuæ mentis Studiosum diligentia decet, visitans, sine urgente necessitate non neglexit. Inductis vero feriis & remittendi animi & utili-

---

tha Elisabetha, D. Augusti Benedicti Carpzovii, Pandectarum Professoris Publici, Curiae provincialis & Consistorii Ecclesiastici Assessoris, bonae indolis Filia. Tria hæc ipsi dedit pignora, filiam unam, duos filios, singulos mortuo Parente superstites. Sed ut morbum denique & mortem Viri referamus, annus erat, ex quo de vertigine, deliquio memoriae & lingua inter concionandum quasi sufflaminata conquereretur, quibus tamen malis se liberatum postea professus est. Verum enim vero die Sabbathi, auditis penitentium confessionibus domum rediens, catharro apoplectico repente correptus est. Pullantem cum carissima Conjux extemplo accederet, in lecto sedentem, inque agone jam constitutum invenit, verbaque aegerrime proferentem. Quid illa? prout perterrefacta potuit, ultima hæc morientium verba ipsi acclamavit: Domine Jesu, tibi vivo, tibi morior, quae iterum iterumque reddidit. Accedentibus deinde D. Seligmanno Confessionario, (qui tantum præcedente die Jovis sacram ipsi synaxin porrexerat) ceterisque Collegis conjunctissimis, inter ardentissima eorum suspiria Anno 1701, die 10 Decembris, mortem hora sexta vespertina obiit. Fuit inter homines annos quinquaginta & undecim menses. Scripta ejus, ex quibus liquido constat, quam strenuus Pietistarum Fanaticorumque debellator fuerit, exhibentur in memoriis Theolog. Pippingii pag. 948. seqq. Conf. etiam de eo Gottl. Frid. Seligmanns gepriesene Seeligkeit der Kinder Gottes pag. 564. seqq.

utilitatis gratia (quemadmodum inter itinera narrabimus) Lipsia ad alias urbes contendit. Sic Halam abiit, & undique confluentium pars Studiosorum fuit, Friderico III Electore Brandenburgico Academiam primum condente. Omnium, quæ agebantur, indefessum egit Spectatorem (quoto enim cuique hæc videndi copia datur?) & avidis Orationes auribus imbibit, eam maxime, quam Baro a Fuchs, (c) Electoris Consiliarius intimus, applaudente corona, habuit. Rebus his peractis, Lipsiam & consuetum cum literis commercium repetiit.

### §. IX.

Tot annos hic moratus, alias quoque noluit invisitatas relinquere Academias, & Rostochium meditatus est. Ad iter proinde, Præceptoribus valere jussis, comite Deo, anno 1697, die 5 Maji se accinxit. Viam ingressus, Magdeburgo in Academiam Juliam primum pervenit. Mox Brunswigam se recepit, & optimis urbibus, Hannovera, Cella, Hamburgo, Lubeca, Wismaria visis, Musas denique Varniacas amplexus est.

### §. X.

Tantum quod appulerat, de suorum incremento studiorum laboravit, & obtentis apud Franciscum Wolffium Theologiæ Professorem museo pariter & victu, Rectori Johanni Fechtio nomen dedit, civibus Academicis adscribendum. Mox lateri ejus adstitit, & majorem certe latitiam Lectiones incomparabilis Viri in animum ejus invexerunt, quam ut explicare possim. Affulsit insuper concionandi crebra ipsi occasio, cui medium unguem non porrexit, ut domum reversus majori commodo suæ inserviret Patriæ. Verbo: eo jam notitiæ in

D 3

rebus

(c) Hic Baro a Fuchs longo rerum usu peritissimus & facundus plane Minister fuit. In Epistola ad Ludovicum Seldenum latet sub nomine Sinceri Germani. Ipsa vero Oratio, quam in Academia recens fundata habuit, exhibetur in Joh. Christ. Lünigs Reden grosser Herren Part. 2. cap. 6. Orat. 173.

rebus Theologicis pervenerat, ut divinam veritatem mascule tueri, & aliorum etiam animis e suggestu instillare posset.

§. XI.

Sed ecce! proponit homo, disponit Deus. Idem sane Præ-Consuli Nostro accidit. Præter enim opinionem omnium gravis eum mutandi studium Theologicum cura circumstetit, non temere rejicienda. Obingentem, quo sacras literas complectebatur amorem, ægerrime divelli se ab iis patiebatur; sed oborta recens difficultas invitum cogebat. Quid consilii? Missis identidem ad Deum precibus, reque in sinum Fechtii Præceptoris sui effusa, consilio ejus fretus castra Jurisperitorum tandem secutus est. Equidem ne invisam notam transfugæ incurreret, ancipitem sane & lubricum locum publica disputatione Theologis dedit expositum. Statum scilicet infantum a gentilibus progenitorum, inque infantia discedentium, proprio Marte describens, quænam potior de salute eorum sit sententia, docto calamo ostendit, recedensque applausum meruit.

§. XII.

Jam nemo temere conjiciat velim, Præ-Consulem Nostrum temporis Philosophiæ, Linguis & Theologiæ hæctenus impensum vel minimam fecisse jacturam. Tantum enim abest, ut Jurisprudentiæ operam daturi his adminiculis impediuntur, ut potius iisdem instructi, majores aliis progressus faciant. Illi ne laudandi sunt, aut rebus suis bene consulunt, qui cæco quodam impetu ad jus properantes, egregios se Juris Consultos putant, si libata leviter latinitate, & spreto plane Philosophiæ Linguarumque studio, primis Justinianum labris degustarunt? Fallor, aut illotis manibus rem aggrediuntur.

§. XIII.

Pectus itaque vera doctrina pulchre incoctum suo in Jurisprudencia Præceptoris Johanni Joachimo Schæpffero, (d) Codicis

(d) Johannes Joachimus Schæpfferus, J. U. D. & Professor Rostochien-

dicis Professori apud Rostochienses olim celeberrimo, afferens  
Zerne-

sis, cui plurimum in Jurisprudencia debet Prae- Consul Noster, natus est Quedlinburgi an. 1661 die 23 Nov. Patrem coluit Theodofium Schöpfferum, Jctum & Advocatum Ordinarium, fcriptis orbi erudito expositis memorabilem. Matrem habuit Margaretham Hörenflebin. Ulteriore familiae originem non subtexam, id tantum dicens, quod nobilem propinquitatem generofamque majorum famam habuerit. Erat in puero ftatim summa ingenii docilitas, ut celeriter arriperet, quae ipfi in Gymnafio Quedlinburgenfi tradebantur. Qua ex re nobilis adeo inter aequales ferebatur, ut etiam Praeceptor ejus, Sam. Schmidius, (quo doctore Logicam optime didicerat) hoc faepe de illo dederit augurium: *Ne tu olim celebris in ore omnium verfaberis Professor.* Anno 1680 Oratione publica de Advocatorum laude proprio Marte elaborata, ultimum Mufis Quedlinburgenfibus dixit vale, Jenam aditurus. Invadente vero in hominum vitam peste, juffu Parentum domum rediit, dexterrima Patris fui informatione ufus. Francofurtum deinde ad Viadrum fe contulit, anno fcilicet 1681, duce Samuele Stryckio ftadiis operam daturus, fub quo brevi tempore tantos fecit progressus, ut arenam difputatoriam faepius ingrediens, de meliori nota fe commendaret Professoribus. Anno 1683 fub umbone D. Joachimi Hoppii de compensatione fructuum cum expenfis publice Respondentem egit. Paulo poft pro Licentia examinandum fe dedit Facultati Juridicae, in admirationem fuos certe Praeceptores rapiens, doctrinam Candidati viginti duos annos nondum nati, dignis maectantes laudibus. Hoc admodum anno, Praefide Stryckio, de Succelfione Praetoria hodiernum neceffaria, plaudente difputabat Academia. Et quoniam confiliorum ejus femper erat patiens, fuafu ejus, confluentibus undique Auditoribus, Hoppii Examen Inftitutionum profpero rerum fuccelfu gratis explicuit. Collegia mox privata lectorio-examinatoria & difputatoria aperuit plurima. Non dicam, quod Praefes concatenatas inter Praelectiones Difputationes aliquot fimul defenderit. Tanta, qua in ore omnium verfabatur, diligentia, Fridericum Wilhelmum Electorem Brandenburgicum movit, ut fpartam ipfi Professoris Juris Extraordinariam conferret, qua obtenta Doctor creatus est, habita de poena furti ejusque iuftitia Oratione. Difficile fane dictu est,

Zerneckius, cum ipso anni 1698 exordio sacra quoque Themidis

quantam hoc Gradu honoris ornatus diligentiam dederit conspicendam omnibus. Hinc Comites Nobilesque certatim Schöpfferum adibant, optima docentis methodo allecti. Continuis namque (ut supra jam Cap. 3. §. 13 memoravimus) auditores examinibus attentos tenuit, nec quousque docentis munere fungebatur, hanc unquam viam deseruit. Neque vero non apertum est, quod plures unius anni spatio promptos adeo reddiderit, ut Gradum merito honoresque appetere. Regibus exinde (quæ non ultima laus est,) Principibusque placuit, interque eos Gustavo Adolpho Principi Mecklenburgico, a quo Rostochium 1693 Professor Codicis Ordinarius, Consistoriique Ducalis Assessor vocatus est. Et quod potentius est, ab ipso Leopoldo Magno, Inviçtissimo Imperatore, 1694 Comes Palatinus constitutus est. A Friderico Wilhelmo, Duce Megalopolitano, rei juridicæ & tabulariæ Vice-Director 1707 declaratus est. Nec iste honorum ejus erat terminus, quippe 1712 Kilonium Justitiæ Consiliarius & Professor Juris Primarius accerseretur, sed vix duobus annis præterlapsis, a Duce Friderico Wilhelmo Rostochium invitatus est. Hæc dum geruntur, Dux Megalopolitanus obiit, a Successore tamen Carolo Leopoldo oblatos obtinuit honores, cujus denique 1715 a consiliis cepit esse intimis. De re ejus domestica paucis relatum dabo, quod an. 1690 Virginem Catharinam Elisabetham, Hætoris Johannis a Mithoffen, Cancellarii Quedlinburgensis Filiam, in matrimonium duxerit, novem liberos enixam, tres filios, sex puellas, quarum tres vitam cum morte commutasse certum est, ceterorum vero vita & status nobis est incognitus. Ad nostrum vero ut redeamus Schöpfferum omnino consistendum est, quod turbis Mecklenburgicis, ne hodie quidem compositis, implicitus, adversa ex illis nata patienter superaverit, de quibus tamen tacere satius est, quam eloqui. Cum iniqua deinde consistendum ipsi fuit valetudine, quam ut mota corporis corrigeret, varia in se suscepit itinera, Islebiamque pervenit ad M. Justum Schöpfferum, Pastorem & Consistorii Assessorem, fratrem dilectissimum. Enim vero luculenta licet morbi gravioris signa animadverteret, nullis tamen flecti potuit persuasionibus, ut hic gentium diutius moraretur. Quapropter Alstedium petiit, ibique ingravescente corporis malo Apoplexia tactus, an. 1719, die 12



dis exorsus est. Et certe talem ipsi in Schœpffero fortuna interpretem tribuit, qui optima, qua utebatur docendi methodo (perpetuis namque auditores suos examinibus promptos reddere assueverat) parvo temporis spatio discentibus multum profuit. Uberioris proinde fructus ergo scholis Viri privatis duobus duntaxat aut tribus comitibus interfuit, bisque sub eo Institutiones Justinianas ex Commentario Hoppiano, bis Digesta ex Synopsi Schœpfferiana, bis Praxin Forensem, Differentias Juris Civilis & Canonici, Jusque Feudale Strykii indefessa absolvit industria. Quid? quod octodecim deinde vicibus super totum Pandectarum opus exscriptis ære thesibus certans, herbam non porrexit oppugnantibus, & denique abiturus, prælaudato Schœpffero Præside, Disputationem Publicam de Milite Desertore, haud invita Minerva elaboratam, mascule defenderit, egregium eruditionis suæ Academiæ relinquens monumentum.

## CAPVT IV.

DE

## PEREGRINATIONIBVS.

§. I.

**P**erductis ad finem in Academia studiis, peregrinas desiderio peragrando terras incensus est, non ea tantum fini, ut  
E
quæ-

Septembr. obiit, annos quinquaginta septem, decem menses, hebdomadam unam & dies quatuor natus. Die subsequente vigesimo quinto Septembr. corpus exanime Islebiam deportatum excepit frater superstes, exceptumque statim terræ mandavit. Die vero 29 Octobr. concionem D. Deylingius funebrem in defuncti memoriam habuit. Symbolum viventis erat: *In rebus dubiis tutiorem sequere viam.* Scripta Celeberrimi Viri, quorum haud parva est copia, ambabus eruditorum manibus excepta, recenset Christ. Polycarpus Leporinus im Leben der Gelehrten in Deutschland Part. VII. p. 699. seqq. cui, quicquid hætenus memoratum est, acceptum omne referimus.

quarentibus, quantum ex itinere profecerit, minantes in cœlum Pharos, aut ædium in urbibus splendorem, aut pontium fornices ac laquearia, & id genus alia narraret; neque ut exterorum maculis florentem virtute animum corrumpere; sed ut cognitis aliarum gentium moribus & studiis, ingenii cultum caperet, ea conversurus in usum suum omnia, quibus Communi in Patria Egregio prodesse olim posset.

### §. II.

Et prima quidem occupationes inter Academicas jam fecit itinera. Omnibus enim, ut moris est, stato tempore ferias agentibus, suis quoque aliquam studiis remissionem dandam esse, probe animadvertit. Quis enim alius pertinacis plane diligentia fructus est, quam pallor & infirma corporis valetudo? Immorandum libris non immoriendum est amantibus alterna camænis. Ut taceamus ex continua animi intentione hebetationem nasci sapius, sed majorem e contrario post otia virtutem esse. Fractas proinde ingenii vires a motu prudenter recollecturus oblata occasione vice plus simplici sese in viam dedit, qua finita, literis operas intermissas reddidit.

### §. III.

Hujusmodi peregrinationem an. 1695, die 24. Junii, quietem capientibus Lipsiæ Professoribus, in se suscepit, Wittebergensem primum visitans Academiam, benevolentiamque sibi Caspari Lœscheri, Conradi Samuelis Schurtzfleischii, & Johannis Georgii Neumanni comparavit. Witteberga Berolinum (ubi Philippum Jacobum Spenerum, & Johannem Wilhelmum Peterfenium propius intuebatur) & paulo post Francofurtum ad Oderam pedem attulit, doctissimosque ibidem Viros, Johannem Christophorum Becmannum, Bernhardum Albinum & legentes audivit & disputantes, interque eos celeberrimum Jurisperitum D. Petrum Schultzium, Disputationis de Potestate Superintendentium Inauguralis tunc Præsidem. Interjectis diebus aliquot Lipsiam reversus est.

### §. IV.

## §. IV.

Instantibus anno subsequente feriis, jam longiori mense Augusto se commisit itineri, & Jenam primum veniens, in colloquia D. Valentini Veltheimii, Erhardique Weigeli admissus, & ab iis benigno admodum vultu exceptus est. Mox Salfelda, Bambergæ, Coburgo cursum Noribergam, urbem Franco-niæ amplissimam, direxit, & collocutus cum Carolo Feverlino, Ministerii Seniore & Bibliothecario, per admiranda etiam opera Hauschii, Mechanici Cæsarei, oculos circumtulit. Altorfium porro delatus, immigrare ipsi in notitiam Christophori Sonntagii, Mauritii Hoffmanni, Johannis Christophori Sturmii, Johannis Christophori Wagenseilii, ejusque Filiaë doctissimæ, Professoris olim Altorfini Danielis Wilhelmi Molleri conjugis, non sine animi licuit prolubio.

## §. V.

Nec urbem eam non spectaturus, in qua Lutherani fidei suæ Confessionem Imperatori Carolo V exhibuerunt, Augustam Vindelicorum se recepit, innotuitque Johanni Jacobo Mül-lero, Ministerii Seniore, aliisque eruditorum. Paulo post contendit Monachium, ibique aliquandiu substitit, ne properante tantum, sed fixo urbis ornamenta, quorum non parvus est numerus, oculo intueretur, quo factò, Ratisbonam deinde abiit. Hoc loco recedens Danubium navigavit, & secundo amne Passavium, Lentium & Amissum per rapidissimos quoque vortices feliciter descendit, res in singulis notatu dignas urbibus diligentissima sciscitatione inspiciens. Nave tandem, sed magno vitæ discrimine, (de quo infra dicendi locus erit) ad Monasterium Neoburgicum advectus, in ripam evasit, terrestre Vien-nam iter instituens.

## §. VI.

In illustri hac S. Cæsar. Majest. Sede, aheneus merito totius Imperii murus vocanda, mentem convertit ad omnia, quæ

famam ejus domi forisque differunt. Quid? quod ipsum Imperatorem invictissimum Leopoldum I, venatu redeuntem, & Legatum Russorum suis utentem institutis cernendi copiam habens, attentius cuncta consideraverit. In colloquium etiam scriptis & ingenio noti Patris Abrahami a S. Clara veniens, sermonibus ejus, quantum licuit, profecit. His nondum satiat, navigiis Danubii se iterum credidit, & Pösonium, Comorram, Strigonium, Vaciam, Budamque defluxit. Paucos hic loci dies moratus, exeunte appropinquantium Turcarum, fusique Christiani militis fama, citius se Neoselium contulit, Viennamque redux factus est. Pragam postea Dresdamque gressum movens, simul ac advenerat, lætitiæ ex nativitate Filii Principis, Friderici Augusti, in animis omnium ortæ, festivoque tormentorum fragore excitatæ, particeps factus est. Tandem superatis, protegente Deo, trecentis propemodum milliaribus, Lipsiam rursus tetigit, pristina revocaturus studia.

#### §. VII.

Eximiam sane ex hoc itinere utilitatem adeptus est, non tantum quod res rariores oculis subjecerit, sed etiam quod varios nactus comites, mores & ingenia hominum, ad fraudem sæpe & perniciem alterius compositorum, dignoscendi occasionem invenerit, quorum verbis facile fidem habent, suo sæpe damno inexperti. Majori proinde cupiditate ad alias regiones accedendi inflammatus, ex Academia quoque Rostochiensis an. 1697, die 24 Julii, imminentibus feriis, mari in Daniam, commutato nondum Theologico cum Jurisprudencia studio, profectus est, & vento secundo aliquot horarum spatio Haffniam, quo studuerat, pervenit. Hic avidum pectus, quibus tantum cunque urbs inclyta gaudet, memorabilibus explevit, usu virorum insuper doctissimorum, Hectoris Gottfried Masii, Johannis Friderici Bartholini, Bartholdi Botfacii, & Johannis Wandalini admodum delectatus.

#### §. VIII.

## §. VIII.

Fridericoburgum porro, Arcem vario ornamentorum genere haud facile aliis inferiorem spectavit, Roschildamque sepulchris Regum celebrem non neglexit. Interea temporis navis quædam suis onerata fuit mercibus, in quam ascendit, Rostochium petiturus. Sed felicius navigationis hujus initium fine fuit. Solutis enim anchoris in altum provectorum iratum mare ventorumque rabies, lacerata propemodum rate, manifesto salutis periculo (infra plenius describendo) exposuit, Gedanumque tandem propulit. Interjectis diebus aliquot, ne truci amplius se committeret pelago, terrestre iter instituens, Stolpa, Colberga, Stargardia, Stetino, Gryphswaldia, Stralfundia, Rostochium denique, absolutis pluribus centum, invito tamen animo, milliaribus, cursum transmisit.

## §. IX.

Finitis in Academia hac Jurisprudentiæ studiis, abitum an. 1699 Martio mense ad fines primum Batavorum paravit, & Wismaria, Hamburgo, Brema, Linga, Daventria, Trajectum ad Rhenum adventans, inter cetera urbis decora Johannem Georgium Grævium admiratus est. Ne vero urbem, cujus opum fama universum orbem pervagatur, & in qua constituenda natura & labor, virtus & fortuna, tellus Oceanusque, scribente Barlæo, contendisse videntur, prætermitteret, Amstelodamum profectus est.

## §. X.

Hic totus ipsi campus patuit, quicquid præclari sub oculos cadere potest, sat abunde exhibens. Indefesso itaque ardore condendæ selectioris gazæ ac pretiosæ suppellectilis armaria frequentavit, spectaturus quicquid vel artificiosa hominum manus posteritati admirandum reliquit, vel amplum totius naturæ theatrum in minimis plerumque insectis & lapidibus repræsentat, quibus nihil potest esse jucundius ad conspectum

aut utilius. Et quod potentius est, hac simul occasione in notitiam doctissimorum pervenit virorum, quorum usu & sermonibus frui continuis, nullibi locorum aspernatus est, quippe ex contactu aromatum veluti odorem trahimus, ita alloquio eorum doctrinam haurimus.

### §. XI.

Amstelodamum relinquens Harlemo Lugdunum Batavorum delatus est, & horto Medicorum floribus perquam raris vestito, conclavibusque dissecandis corporibus aptis, sedulo inspectis, Hagam Comitum concessit. Legatis hic Optimatibusque plurimis eorum itidem institutis & splendore visis, ulterius Delphis, Roterdamo Brielam pedem advertit. Enim vero tantum abfuit, ut peragratis Batavorum finibus se retro ferret, ut potius clarissimos toto orbe literarum, artium armorumque gloria Britannos aditurus, paulo post Harvicum trajecto mari appulerit. Viam tunc molitus est Londinum, Urbium augustissimam, si hominum vel frequentiam consideres, vel commercia, vel superba Principum palatia, & id genus alia verbis ægre complectenda, quæ tamen oculis usurpavit omnia. Mensam præterea Regiam, patinis aureis prata, sylvas & maria includentibus, ornata, ipsomet accumbente Wilhelmo III, honoremque prandenti exhibitum, ritusque non sine magna mentis voluptate iutuebatur.

### §. XII.

Rebus quoque in Turre Londinensi pretiosissimis, Mausoleis Westmonasterii, Hamptonique Curia probe observatis, Rossa, Cantuaria, Dubrim contendit, naveque Caletum delatus est. Equidem hoc præ aliis molestissimum iter habuit. Quippe concitatum acriori vento mare non modo terrorem incussit omnibus; sed navis etiam tabellaria molossis Britannicis Regi Gallia transmittendis repleta, vix locum reliquit navigantibus aptum. Bestiæ enim navigii malis insuetæ, nunc mutuos nexus excutere,  
nunc

nunc ferratis morfibûs vexare adstantes, nunc fœdo complere omnia odore, ut pessime valerent homines.

§. XIII.

Nave hac expositus, Galliam quidem, ferax illud ingeniorum seminarium Musarumque domicilium, percurrere in animum induxerat, sed adversa pressus valetudine, imminente insuper animæ periculo, propius intueri destitit, Flandriam versus iter affectans. Cursum itaque Audomaropoli, Dunquercæ, Furnis, Novo Portu, Bruga, Gandavo, Bruxellis, Antwerpiam fecit, ibidemque singulari Dei providentia distentas jam ex raptu viventium manus, non sine gravi tamen rerum vitæque discrimine, in spoliatus elusit. Ad ipsarum vero urbium templa, recessus, arces & pene angulos omnes mentem oculosque conjecit, latentes in illis morum doctrinæque thesauros diligenter collecturus.

§. XIV.

Terris itaque disjunctissimis viri firmitate lustratis, ut jam tunc præmonente fortuna perdiceret, quæ mox præcipere deberet, reditum tandem in patriam meditatus est. Clivia, Valsalia inferiori, Minda, Hildesia, Halberstadio, Magdeburgo, Bostampio, Berolino, Custrino, Gedanoque Thorunium denique (trecenta hoc cursu & quinquaginta milliaria emensus) appulit, & amplexu Parentem arctaque propinquitate conjunctos effusissimo invasit, fructum peregrinationis & commoda in Patriam refusurus.

CAP. V.

DE

MUNERIBUS, QUIBUS PRÆFUIT.

§. I.

**Z**ERNECKIVM contubernia sapientiæ apud externos adeuntem comitati, advertamus porro animum, qua ratione pr-

prudentiam, studia, morumque comitatem, ex consortio doctorum, Optimatum alloquio, indagine rituum & legum collecta, in patriam reversus probaverit, quod candido jam referemus pectore.

### §. II.

Tantum quod domum redierat, Patrum Conscriptorum benevolentia Tablinum (vulgo Cancellaria) ipsi patuit, cujus frequentandæ occasionem non dimisit, magnam inde commoditatem consecutus. Enimvero ut rebus etiam extra Patriam gerendis interesset, sponte sua legatis ad Post-Comitialem Conventum Mariæburgensem abeuntibus, Præ-Consuli Simoni Schultzio, & Johanni Godofredo Roesnero, ea tempestate Consuli, se dedit comitem. Animadvertente vero Magistratu Thoruniensi qua aptum ad negotia animum, qua honestum ejus emergendi studium, anno MDCXCIX vertente, in numerum eorum cooptatus est, qui a Senatus sunt secretis, quam provinciam bene administravit.

### §. III.

Anno subsequente, jussu Superiorum, una cum Præ-Consule Johanne Czimmermanno, & Consule Johanne Godofredo Roesnero ad Conventum Post-Comitialem Mariæburgensem iterum se contulit, quo irrito certis ex causis facto, Thorunium rediit. Hic prætereundum non est, quod sapius ad judicia Palatinalia atque Castrensia misso crebra in notitiam Procerum immigrandi affulserit occasio. Propterea virtutis & promptitudinis in rebus agendis cum esset manifestissimæ, Optimatibus de adventu gratulandi munus vice plus simplici ipsi fuit impositum, quo ita semper perfunctus est, ut nec urbanitatis in sermone putidus affectator adventantibus, nec improvidus negligensque mandatorum Magistratui unquam visus fuerit.

### §. IV.

In his aliisque acerrime occupatus negotiis morbum incurrit



currit ancipitem, ex quo emergendi spes propemodum dubia supererat. Enim vero exiit, opitulante Deo, ægritudinem, seque promptum rursus quavis occasione exhibuit paratissimumque. Civitate paulo post Thoruniensi, edicta anno 1701 copiarum lustratione, suos quoque ratione Bonorum Terrestrium, mittente equites cataphractos, comite centurione de Finx, jussu Magistratus in campum illos Cowaleviæ (Schönsee) proximum duxit, Proceribus Palatinatus Culmensis inspiciendos.

## §. V.

Anno 1702 eadem ipsi exercenda virtutis palæstra iterum demandata est, cujus ornandæ gratia cum equitibus triginta duobus ad Lustrationem expeditionis bellicæ in terris Prussiæ generalem, Brodniciam (Straßburg) ad fluvium Drevanciam se contulit, plus perpeffus molestiæ, quod præcepta diligenter curaret, quam verbis quidem exprimere nobis integrum est. Enim vero turbine hoc, accedente partibus ejus Castellano Culmensi Konopacio, major, tormenta bellica virosque, facti quorum detrimenti rumor jam exierat, præter spem Magistratus civiumque Patriæ reddidit, quo exoptatus ipsis accidere nihil potuit. Adhæc apertum infra erit, quam manifesto salutis discrimini tunc fuerit expositus.

## §. VI.

Hos inter labores ad spem secururæ tranquillitatis vitæ erecto, nulla postmodum, mutata præter opinionem rerum facie, relicta fuit. Quinque quidem eo tempore Senatui Thoruniensi a secretis Viri erant, sed misso in Sueciam altero, altero inter Consules recepto, & tertio expirante, totum onus ad ZERNECKIVM, ejusque Collegam, devolutum est, cui ferventibus discordiis intestinis, (a) & omni bello circa urbem obsidione clausam collato, vix ac ne vix quidem ferendo erant.

F

## §. VII.

(a) Vid. Chronicon Thorun. p. 409. seqq. & p. 412. Thorunium bello pressum (Bekriegtes Thorn) cap. IV.

## §. VII.

Ut digna vero laborum ferret præmia, Patrum Conscriptorum suffragiis anno 1706 Scabinus Veteris Civitatis eligebatur, occulto, quod bona fide dicimus, ambitu haud intrusus. Hujus, quanta semper potuit, officii leges industria servavit, & anno 1709, Collegis singulari ipsum benevolentia prosequentibus, Vice-Magister sive Con-Senior constitutus est, licet adhuc inter inferiores esset. Munus hoc Scabinorum Magistro sive Seniore Johanne Hemelingio morbis semper presso, solus exsequutus est, Sene donec rude donato, via ipsi in locum ejus anno 1712 Collegarum calculo munita est. Hic licet honòs plerumque onus sit, Deo tamen Duce, & prudentia comite, sine nominis famæque jactura peregit semper, quicquid suarum videbat esse partium.

## §. VIII.

Qua ex re vividus Præ-Consulis Nostri animus, rerumque agendarum dexteritas, grata fuit adeo Patribus, ut 1713 votis omnium Consul eligeretur, ipse licet ad hoc dignitatis fastigium non adspiraret. Hic certe vix nobis temperare possumus, quin referamus, quod quovis semper anno Climacterico vicissitudinem sui notabilem expertus fuerit. Septimo ætatis anno privata commissus est informationi; decimo quarto in Gymnasio studia excolere Patrio auspiciatus est; vigesimo primo Athenæi Gedanensis civibus se adjungens eodem in Academiis & peregrinationibus feliciter fruitus est; vigesimo octavo a Senatus Thoruniensis cepit esse secretis; trigesimo quinto nomen inter Scabinos Veteris Civitatis professus est; quadragesimo secundo Consulem; quadragesimo nono Consulum egit Seniore.

## §. IX.

Nusquam autem antiquo nexu cum Dignitate Consulari copulatis muneribus humeros subduxit, anno subsequente Judicis statim in se suscipiens officium. Qua conscientia spartam

tam hanc ornaverit, an largitionibus corrumpi se passus fuerit; an amicitiae alterius impunitatem injuriae tribuerit, id ii duntaxat confiteantur, quorum causa de justitia laboravit? Anno 1718 eadem ipsi oblata fuit Provincia, de qua iterum, ne ab absentatione videamur auspicari obsequium, id tantum dicemus, quod, docente Plinio, temerarium existimaverit, divinare, quam spatiosa sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cujus modum ignoravit, cum primam omnino religioni suae judex debeat patientiam.

## §. X.

Magnitudine vero rerum tot annos gestarum nobilitatum, summis tandem Communis Egregii gubernaculis admovent Urbis Proceres, admotoque a. 1723, die decimo Martii, Fasces Prae-Consulares, de inflexo ejus in Patriam amore quam certissimi, tradiderunt. Quo facto dignitatem Praesidis more majorum simul obtinens, Patriae tanto ardore consuluit, ut plurima adhuc monumenta reperias, memoriam Nominis Zerneckiani ab oblivione vindicantia. Et facile nobis jucundumque dictu foret, eo Praeside civitatem, multa ex parte sedatis flagitatorum animis, aere alieno liberatam; poenitentiam Ecclesiasticam rursus introductam; exstructis egenorum causa aedibus (Spend-und Spinn-Haus) pauperum fortunam levatam, & mendicantium segnitiam repressam esse, calleremus, nisi laudis impatientem fuisse semper Prae-Consulem Nostrum, de se ipso modestissime sentientem.

## §. XI.

Ex Praeside, mos prout ibi gentium obtinuit, Vice-Praeses anno 1724 factus pro salute Patriae consueta quidem excubare coepit prudentia, sed coortis, celerique rumore ubicunque terrarum dilatis funesti exitus turbis Thorunensibus, multum invito animo impeditus est. Rem istam calamo suffuso felle vacuo, sed veritatis pleno inter fata Optimi Prae-Consulis infra dabimus expositam.

CAPVT VI.  
DE  
S C R I P T I S.

§. I.

**I**N tanto rerum publicarum molimine non aliud laborum levamen ipsi fuit, quam multiplici lectione nobiliorem hominis partem exercere, suavique cum Musis colloquio animum curis strepentibus solvere, aut effingere aliquid & excudere, quod perpetuo suum esset. Inter alia magnorum exemplo virorum studium Poëticum in oblectatione habuit, (a) licet inopiæ duntaxat subsidium infimæque fortis ornamentum ignavo videatur seculo.

§. II.

Ex multis quæ composuit, 1706 Lusum quendam Anagrammatico-Poëticum edidit, acceptum adeo Lectoribus, ut gratiam novitatis minime exuens prelo altera vice subiceretur. Verum enim vero non persequemur longiore tractu huiusmodi illius Scripta, quæ animi causa a Poësi nunquam alienus elaboravit, de iis tantum dicturi, quibus Patriam sibi devinxit. Illorum primum est *Thorunium pestilentia infestatum* (das verpestete Thorn) anno 1710, ibidem in 4to typis descriptum. Hæc nempe laudatissima civitas quadringentis annis pestem vices sævientem experta est, domos & familias misere subvertentem, quam tristem rei memoriam testis fide dignus posteris exposuit. Scriptum hoc typographus, sed incscio Autore, denuo recusum dedit, ex qua causa mendis altera editio scatet plurimis.

§. III.

Ne vero tam arctis inclusa videretur cancellis industria ejus, solo veritatis & Patriæ stimulatus amore, naufragas Hi-  
storiæ

(a) Pulchre Plinius: His jocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur, Lib. 4. epist. 14.

ſtorix Thoruniensis Tabulas vetustatis injuria nondum penitus victas improbo labore in lucem protraxit. Opus hoc *Chronici Thoruniensis* nomine insignitum prodiit ibidem 1711 in 4to, in quo antiquos ritus, Historiam veterem, urbis privilegia, celebrium vitas virorum, & quicquid cognoscendi voluptate jucundum & exemplo erat necessarium, exactis optimis codicibus, pulchre contexit Autor, totam civitatis quasi imaginem brevi tabella complectens. Nec sane emptor libro defuit, qui 1727. emaculato prelo Berolini commissus augmentum tulit, vario insuper æris cælamine ornatus. Rebus in historiam collatis annus 1231 initium, finem vero 1725 supeditant.

#### §. IV.

Sequebatur alius Chronicon conatus, *Thorunium* nempe *bello pressum*, (das bekriegte Thorn) luci ibidem datum a. 1712, in 4to. Tempore armis virisque incitatissimo bella peræque, sed Patriæ jam illata, meditatus est clarissimus Autor, vivis depingenda coloribus. Opus ipsum quatuor proinde absolvitur capitibus. Exponit primum, quo impetu Sueci optimam Urbem 1629 adorti obsidione urserint, civibus impetum sustinentibus infectis rebus discedentes. Secundum docet, Urbem 1655 appropinquanti cum exercitu Carolo Gustavo tandem esse traditam. Enarrat tertium obsidionem a milite Cæsareo factam, qua 1657 clausa civitas non expugnata fuit, licet a Polonis foederisque Sociis anno subsequente fuerit occupata. Describit denique quartum, qua ratione Rex Sveciæ Carolus XII, Thornam magnis terroribus jam sæpius vexatam, armis pariter circumfederit, facta tandem deditione captam.

#### §. V.

His addidit indefessus Autor *Thorunii honorati doctique Prodromum* (Summarischen Entwurf des geehrten und gelehrten Thorns) typis ibidem anno 1712 in 4to expressum. Refert ille Virorum, qui Magistratum Thorunii gesserunt no-

mina, temporibus, quibus provinciam adepti vel fati defuncti sunt, probe notatis. Nec Membra Ministerii invariatae Confessionis Augustanae addicti praeteriens, quotquot eorum ab initio Reformationis vixerunt, commemorat, injecta pariter Rectorum mentione ceterorumque Gymnasii Professorum. Quin imo Viros Medicae artis peritos digesta serie adducit, illorum denique memor, qui foris inclaruerunt.

## §. VI.

Supereft, ut docti orbis iudicia tandem de Scriptis Clarissimi Autoris lata in scenam producamus, lectores docentia, qua aestimatione conatus isti metiendi sint. Sed quis sinistre de diligentia res in Patria gestas ab oblivione vindicantis iudicet? Quis est, qui hoc Scripturae genus leve & non satis dignum summorum personis Virorum arbitretur? Is tantum, qui nihil rectum putat, nisi quod moribus ejus conveniat. Eruditi Bibliothecae Historicae Hamburgensis Autores scripta Zerneckiana Centur. X. Art. 46. 47. pag. 154 - 159. recensentes, dignas iisdem laudes tribuunt. Nec ab Actorum Eruditorum doctis Collectoribus opera ejus vapulant, contenta Chronici Thoruniensis inter scripta 1712 mensis Julii referentibus pag. 306. seqq. Quid? quod plura ex literis doctorum encomia huc afferre, nisi vel assentandi vel vanae obstaret gloriae suspicio, facile possemus, liberam potius unicuique sententiam suam relicturi.

## CAPVT VII.

DE

## MATRIMONIO.

## §. I.

**J**Am sat abunde liquet, ZERNECKIVM utrique commodo tantum dedisse operae, quantum vel a peritis civitatis regendae, vel memoriam sui posteritati commendaturis merito requiritur. Operae itaque pretium est supra narratis *Vi-*

tam

*eam ejus Domesticam* extemplo adjicere, brevi quidem penicillo adumbratam, rerum tamen varietate non prorsus vacuum.

§. II.

Cœlibatus solitudinis pertæsus de hujusmodi cepit vitæ Socia cogitare, cum qua perinde ut secum loqui, inque cujus sinum intimos animi affectus, curas ac cogitationes tuto posset deponere, quæque sibi id, quod viro contingit, omne deputaret. Enim vero cum periculosa plenum opus alex tractent ad vinculum conjugale anhelantes, alieno periculo cautus, non temere suam voluit, quæ vel divitiis abundans virtutibus destituta est, vel omnibus simulacris emendatior mariti rarius respondet ingenio. Connubia piorum cœlo fieri gnarus, expedito a Divino Numine consilio, eam denique arsit virginem, in qua conjuncta invenit omnia, quæ unquam in votis habuit.

§. III.

Hanc equidem ex Gedanensibus elegit, spondente ipsi Filiam Virginem ConCORDIAM (anno 1701 mense Septembr.) Matthia Stannicke, inter Dantiscanos Mercatore florentissimo, lecta venustate splendidisque virtutum ornamentis decoratam. Anno 1702, Martio mense Gedanum se rursus contulit, præviisque loci hujus institutis, auspiciatas plane, primo Maji die, fausta quæque apprecante spectabili convivarum corona, adornavit nuptias, Concordiam nactus vere concordem, cujus in amore constantia nulla rerum vicissitudine frangi, nec temporibus secundis corrumpi, nec imminente mortis periculo divelli potuit aut extinguui.

§. IV.

Quin imo vineæ instar frugiferæ dulces ipsi dedit stirpis propagines, exiguum licet plerisque vitæ curriculum natura circumscripterit. Filia fuit, quam primum ex ea sustulit, *Esther Concordia*, anno 1703 die 27 Januarii felici partu in lucem  
edi-

edita. Enim vero quam nihili hæc vita est! Quæ vivere vix ceperat, vix risu matrem cognoscere, incerta causa & inexplorato mortis argumento obiit, durante obsidione, filiola. Tenebatur Avus, in ultima vitæ meta jam constitutus, videndi illam desiderio, cujus proinde oculis incolumem prorsus lubenti animo exposuere Parentes. Sed ecce! (mirum sane dictu est) quo piissimus Senex, eodem plane temporis articulo, præter opinionem omnium, & ipsamet animam effudit, non amplius viginti octo hebdomadas nata, quo facta una cum ipso humata est. (a)

## §. V.

Quoniam vero vincens pietate dolorem nova solet parare gaudia Summus rerum humanarum Moderator, utrique reddidit, quod abstulerat. Anno namque 1704, die 28 Maji enixa est suavissima Conjux *Renatam Concordiam*, alteram luculentæ formæ filiam. Sed exoptatissimum Conjugii pignus hoc, quatuor propemodum annos Parentibus concessum, repetiit iterum, qui prior dederat Deus, utpote fortunæ minis & lenocinantis mundi illecebris non exponendum. Mors ejus plane fuit notabilis, dum animo illam, nullo nondum morbo laborans, raro mortalibus exemplo, quam rectissime præfagivit. Rem omnem per singulas partes quin exsequamur, temperare nobis non possumus.

## §. VI.

Anno 1707, decimo quinto Septembris die, ad servas opera domestica fungentes hilari admodum vultu accedens, in hæc erupit verba, ore Polonorum prolata: *exactis diebus octo moriar*. Insolens ea adstantibus videbatur quidem oratio, sed ab infante dictam parum curabant. Illa nihilo secius altera vice idem dicens abiit. Tantum vero abest, ut interea temporis vel tristitiam ex vultu aliquis collegerit, vel imminentis mor-

---

(a) Vide Notam (g) cap. I.



morbi signa in corpore ejus perspecta habuerit, ut potius plus solito exultaret. Die prædicti mensis decimo nono Matrem enixe rogavit, ut instante Festo Matthæi secum ad ædem D. Mariæ duceret. Promisit illa, facta insuper adhortatione, ut sacram quoque oratiunculam memoriæ mandaret, ad quam pronomam se exhibuit, ita tamen, ut precum propositarum initio & fine semper exclusis, hæc tantum verba redderet: *Domine Jesu, tibi morior, tua sum mortua.*

### §. VII.

Templum ex voto tandem ingressa, exempto fine jam memorata verba fudit, quibus sane rei adjunctis in magnam Parentes adducti sunt sollicitudinem, subsecuturæ propemodum mortis timidi. Prospera quidem eaque stabili gaudebat valetudine, missaque animi causa ad amicos, eadem dómum rediit, qua abierat hilaritate, nisi quod stans sedensque sæpissime diceret: *Domine Jesu, tibi morior, tua sum mortua.* Die vigesimo tertio salva adhuc & illæsa, appetente, quam supremam habuit, nocte, suis imponebatur cunabulis, somno ad primum lucis usque exortum altiore sopita. Postero die evigilans mulierem infantia custodem sic primum allocuta est: *Surge cubitu, indue me vestibus, hodie namque moriar.* Tantum quod iussa fuerat addormiscere, iisdem mox verbis illam stimulavit. Tertio demum clara voce, auribus quoque Parentum hausta, idem desideravit, quibus obsecundans custos mulier lectum denique reliquit, eique aptavit vestimenta.

### §. VIII.

A capite ad calcem vestita expoposcit jentaculum, quo obento deliquium animi passa est. Mox ardentissima febris perusta in dysenteriam incidit, cruciatibus intemperanter agitata, quibus tamen consueta precationis formula duodecim horas patienter restitit, quasi multis jam experimentis edocta, quid laudabile quid salutare humana natura admittat. Vultu tan-

dem animoque ad abitum composito, utrumque Parentem & circumstantium singulos data dextra valere iussit, & angelos suis se intueri oculis professa, his vitam verbis finivit: *Jesu tibi morior, Tua sum mortua*, annos nata tres & dimidium. Ex his rei capitibus quisque intelliget, & quam merito notandus, & quam acerbus obitus iste fuerit Parentibus, filiola flebili ratione orbatis.

### §. IX.

Diem ista antequam obiret supremum, *Johanna Dorothea* familiam Zerneckianam jam auxerat, anno 1707, die 5 Martii progenita. Hanc prægnaans mater pene non produxisset sobolem, divinis nisi sub excubiis impendens malum evitasset. Facientibus enim impetum in urbem militibus Kioviensibus, metuentes ne prædam facerent, oppellulatis foribus, sollicito eos animo ex longinquo cives observabant. Ex eadem causa in inferiori domus parte suavissima ZERNECKII Conjux stabat, tumultuantem non longe ab ædibus manum provide quidem, sed sui nescia mali spectans. Quippe mox miles aliquis (petulanter an fortuito non interpretabimur) catapultam emisit, globo, quasi data opera eo collineasset, frontem ejus petente, sed manifesta Dei Providentia, cancellis ferreis, quibusincipit applicuerat, adeo repercusso, ut forma ampliori induta, humo allideretur.

### §. X.

Quantum terroris incusserit Matronæ ictus iste improvisus, strenuo cuique formidabilis, vel ex eo apparet, quod exclusa utero puellula nævo frontis rubro notata conspiceretur. Ceteroquin integra erat valetudine, nec sine Patris Matrisque prolubio undecimum ætatis annum jam agere ceperat, cum sic volente Deo, suo quoque exemplo doceret homines, vitam frugibus comparandam esse, nunc in herba, nunc in culmo aut arista pereuntibus. Morbum incurrit brevem quidem, sed intestinis in semet ipsa implicatis multo acutissimum, nulla ope,  
nec

necipso Mercurio dissolvendis. Hos inter dolores intensissimos, anno 1717, die 14 Aprilis, mentis suæ compos, Psalmum quadragesimum primum clara voce totum recitans, divino plena solatio mortem biduo obiit.

### §. XI.

Hac in primo ætatis flore extincta, filius & filia adhuc supererant, conceptos ex obitu Parentum dolores sua mulcentes præsentia. Filius ex his *Henricus* audit, anno 1709, die 17. Octobris, eo admodum tempore progenitus, quo Imperator Russorum *Petrus I Alexewitz*, nunquam intermorituræ memoriæ Heros, & Potentissimus Polonorum Rex *Fridericus Augustus* (cujus annos Deus subinde cumulet) Thorunii convenerant. Ætate paulum provectus literarum se præbuit cupidum, jactisque egregie in Patria Gedanique fundamentis, anno 1730, die 7 Junii, ad Academiam primum Lipsiensem abiit, Jurisprudentiam & artes ingenuas exculturus. Anno, & quod excurrit, ibidem transacto, Wittebergam petiit, ubi in hunc usque diem pertinaci diligentia literas persequitur. Voti summa nostri est, ut olim redux factus non solummodo larga studiorum præmia capeffendo spem omnium adimpleat, sed acceptam quoque a Majoribus gloriam novis subinde virtutibus augeat.

### §. XII.

Quinta proles filia *Catharina* erat, anno 1714 die 22 Maji in vitam emissa, quam tamen Divino Numini beatis citius adscribere peræque placuit. Anno namque 1717 in gravem morbum delapsa, mortem die 14 Decembr. evitare non poterat, lubenti licet animo bonæ indolis natam diutius retinuisent Parentes. Inter hos ultimus est Filius *Jacobus*, qui anno 1719, die 24 Decembr. in lucem introiens, divinis sub excubiis teneros juventutis suæ annos peragit, primis literarum elementis pulchre jam imbutus. Optamus unice, ut alter iste Stirpis Zerneckianæ surculus nullis fortunæ casibus dejectus in feros an-

nos floreat! Plura de statu Præ-Consulis domestico non adde-  
mus, hoc præcipue si adjecerimus, quod optato adhuc fruatur  
matrimonio, quam Deus ipsi felicitatem ab omni rerum adver-  
sarum confinio illæsam concedat diutissime.

## CAP. VIII.

DE

### FATIS ET CASIBVS ADVERSIIS ZERNECKII.

#### §. I.

**S**uperest, ut fata tandem casusque adversos ZERNECKII re-  
feramus, quorum sane prolixa datur series. Hæc enim vi-  
ces conditio mortalium semper habuit, ut adversa ex se-  
cundis nascantur, unde quotocuique lectioris fortunæ affulsit  
radius, novercantis simul umbra adfuit. Nullum proinde, te-  
ste experientia, reperias, qui omnem profus fati inclementi-  
am evitavit, proni licet largiamur, quod in hoc fluxu ac refluxu  
rerum humanarum alter altero plus adversi ferat, quemad-  
modum vel solo ZERNECKII exemplo facile intelliges. Non  
autem unius generis Clarissimi Viri fata sunt. Nunc socios ma-  
lorum (quod a plerisque solatium at vere miserum dicitur) ha-  
buit plurimos, nunc solus aliqua, sic permittente Deo, perpe-  
sus est, quorum aliquot in medium afferemus. Ex singulis  
equidem manifesta poteris Providentiæ Divinæ erga homines,  
pios maxime, colligere argumenta, nisi totam forte impuden-  
ter in dubium vocaveris.

#### §. II.

In primum perdendæ periculum vitæ patrii Athenæi civis  
incidit. Nocte quadam concubia cum se quieti daret, Scriptu-  
ram Novi Fœderis secum recepit, contextum originalem lucu-  
brando rimaturus, candela cerea ex sella adstante suspensa, ut  
lucem

Lucem legenti affunderet. Sopore autem (quod vigilantissimo cuique potest accidere) occupatus, curam cerei non amplius habuit, qui, orbe conglomerato inardente, ignem sellæ & lecto intulit. Sella in cineres propemodum tota, lectus vero magna ex parte redactus erat, flammis dormientem sine dubio consumpturis, nisi scintilla in vultum cadente ex somno excitatus, incendium manibus pedibusque compescere enixe contendisset. (a)

### §. III.

Crebris pariter, cum peregre ageret, vita ejus objecta fuit periculis, quorum duo tantum genera adducemus. Navigio Viennam petens, (b) fluctibus Danubii demersus sane fuisset, consilium nisi, quod unum necessitas subjecit, iniisset. Amne tumulis eminentibus in utraque ripa coërcito, nullum defluentibus imminuit discrimen; sed ubi haud procul Monasterio Neoburgico, deficientibus montium radicibus, priore sui parte spatiosior, ventisque plane obnoxius iter cogit, undas maritimis similes movit, quibus intorta navis gubernaculi impatiens jactabatur. Ingenti tunc certamine concitabantur remi, ut fluctibus, qui se invehebant pertinacius, everberatis, ripæ navicula applicaretur. Verum enim vero abstergebantur remi, vincebant undæ, subsidebat navigium, & anceps apparebat periculum tam natate quam navigare perseverantium. Molis insuper aquariis ex opposito stantibus, majore impetu flumen ad terram anhelantibus adversum agebatur, ut nil quicquam opis in convectoribus esset reliquum. Intuentes discrimen hoc e longinquo molitores, scaphis succurrerunt laborantibus, quod lubricum auxilii genus a præsentī necessitate ZERNECKIUS repetens, facta rerum suarum jactura enatavit. Ex imo deinde subducta nave, suppellectilis quidem suæ, sed aquis jam corruptæ, particeps factus est.

(a) Similem fere casum notatum vide in Chronico Thoruniensi p. 388.

(b) Vide Caput IV. § 5.

## §. IV.

Magnum hoc salutis discrimen illo sane minus fuit, quod mari passus est; dum Hafniam relinquens navem ascendit flexuram iterum Rostochium. (c) Secundissime primum navigationis cursum tenentibus terror subito incussus est, ubi spissæ nubes cœlo se intenderunt, & intumescens mare fluctus ciere cepit. Die in vesperam flexo, coorti diversis plagis formidabili vicissitudine venti, crebro undarum illisu accerrime ratem verberabant, intorquebantur funes, crepitabant antennæ, ingemiscebant mali, nunc montes volvebantur aquarum, nunc diducto æquore valles subsidebant. Hos inter decumanos fluctus, navis fœde quassata præcipiti procella ad insulam Bornholmensem rapiebatur, cujus infames scopuli plura jam navigia lacerarunt, quam numerando consequi valemus.

## §. V.

Hos, opitulante Deo, emensi, Gedanum cursum dirigebant, portum ingressuri. Undis vero ventisque certatim quasi in perniciem eorum conspirantibus, succussus undequaque malus, mox gubernaculum navis, in quo unica mare trajicientium spes semper est posita, tanto fragore ex puppi avellebantur, ut fere in profundum omnia secum traherent, quo facto, tempestati, procella artem consiliumque superante, resistere amplius non poterant, fortunæ fluctuumque arbitrio se permittentes. Rebus sic se habentibus, nonne stupefceret, cui robur alias & æs triplex circa pectus est? Sed deficiente humana ope, Divinum in promptu erat auxilium, dum sat abunde jactati in portum denique Gedanensem, Deo navem dirigente, pervenerunt. Simulac continenti pedem ZERNECKIVS intulerat, iter terrestre Rostochium molitus est, quod adventantem summa admiratione exceperit, utpote ore omnium naufragio diu jam extinctum.

## §. VI.

---

(c) Vide Caput IV. §. 8.

## §. VI.

In Patriam reversus, & officiis jam ornatus, multos peræque adversos casus tulit, ex quibus eos duntaxat adducemus, quos nec Lectoribus ingratos cognitu, nec indignos relatione arbitrabimur. Inter hos quasi prælusionis loco fuisse videntur acutissima vitæ pericula, quæ Lustrationes expeditionis bellicæ separatis temporibus frequentando incurrit. Bis ad illas missus est, bis etiam globus mitram ejus capiti impositam, tresque digitos ex vertice vix prominentem perforavit e catapultâ effusus. Quæ plura ibi mala perpeffus sit, data opera omittimus.

## §. VII.

Et quantus calamitatum illarum numerus est, quas bello Thorunium se flectente acceptas moderate tulit. Malorum recordatio, in urbem hanc obsidione illatorum, apud quem prorsus non deferbuit, is facile conjiciet, nec ZERNECKIVM liberum ab iis extitisse. Non repetemus, quod tempore tam turbido, qua Patre suo, qua filia simul orbatus (d) utrumque horrendos inter tormentorum mugitus, strages inter tectorum domuumque passim factas extulerit; nec incommoda narrabimus ex annona flagellata in neminem non redundantia; sed terrores tantum continuos, apertaque vitæ discrimina unicuique pensulatius examinanda damus, qui, quam fervens ista Suecorum fuerit obsessio, non penitus ignorat.

## §. VIII.

Quem noctes diesque ingentium tormentorum non intermissa fulminatione quassæ domus, tutum & sine pavore unquam tenuerunt? Quis tortos vibratosque flammaram discursus, confutatas ædes & proxima quæque fœda laceratione corripientes, conspexit intrepidus? Quem ollæ ignariæ in æthera emissæ, ac pondere deciduæ partim, partim dissilienti-  
um

---

(d) Vide Capitis I. §. 4. notam (g) & Capitis VI. §. 4.

um fragmentorum grandine non unam mortem spargentes, pallidum non reddiderunt aut tremulum? Miserrima hac ipse vidit ZERNEKIVS, eorumque pars magna fuit. Quid? quod pro muneris, quo tuncungebatur, ratione (a Secretis Senatus erat) toties periculis obviam ivit, quoties summos copiarum Præfectos *de Rebel & Kanitz*, quibus custodia Urbis erat credita, vel inter extimos aggeres, vel corbes terra farctas, vel sudes inter præacutas sequutus est, mentem ipsis Magistratus & desideria explicaturus. Exempli duntaxat unci mentionem injiciemus, prolixa casuum hujusmodi narratione patientia Lectoris minime abusuri. Terendit aliquando ZERNECKIVS in vallum, cum Præfectis ibi præsentibus collocuturus. Dum vero excubiis, quas præterire ipsum oportuit, proximus est, globus concavus major, sulphurato pulvere repletus, in eas decedit, qui flammis luctantibus disruptus, milites vigilias agentes, plane omnes, misere adeo discussit, ut hæc informes truncos, illac laniata viscera jactata videres, excepto Præ-Consule Nostro, qui invulneratus emerfit.

## §. IX.

Obsidione finita novus paulo post belli turbo erupit, multum molestiæ, multum timoris qua ZERNECKIO, qua Civibus inferens Thoruniensibus, quasi novis vulneribus veteres semper cicatrices essent refricandæ. Incommoda ex impetu militum Kiowiensium nata; an metum & discrimina narremus copiis Gniazdowskianis in urbem irruentibus capta? Hæc sane non fuerunt minima! In recenti omnium erant memoria calamitates Fraustadio Posnaniæque prædando illatæ, urbesque proximas mali fama pervaserat, quare, adventante Gniazdowskiana manu, incolarum plures salutem fuga petierunt, in quorum numero Conjux cum pignoribus erat ZERNECKII. Hanc ipsemet denique secutus, domum quidem, sed ad societatem discriminis, præter opinionem ingravescentis, duxit. (e)

## §. X.

---

(e) Vide Chronicon pag. 415. & 434.



## §. X.

Multa jam adduximus, Lector Benevole, rerum adversarum genera, cum quibus ZERNECKIVS sæpe conflictatus est, & plura sane superessent, si latius expatiandi nobis esset animus. Et omnino esset, nisi Optimum Virum æstimatorem sui parcissimum nosceremus, invito animo facta fataque sua copiose describi permittentem. Proinde nobis non est copiæ proluxa oratione terrores persequi, ipsi civibusque a Russis injectos, non modo ignem oppido & flammam minantibus, sed ipsum Vistulæ pontem Vulcano tradentibus, ex cuius incendio, cum Urbi sit contiguus, nova insuper redundarunt in incolas pericula. (f) Hoc tamen adjiciemus, quod litem contagiosam, Thorunio atrocitate tanta incumbentem, ut multa hominum millia necaret, sartus tectus & incolumis, quæ Dei erat gratia, annis 1708 & 1710, superaverit, nemine ex domesticis ejus vel ægrotante, vel fato hujusmodi pereunte, si fratrem excipias ANDREAM ZERNECKE, Mercatorem Thorunii florentissimum, & Ephraimum Prætorium, (g) ami-

H

cum

(f) Vide Chronicon Thoruniense pag. 418.

(g) Quam de clarissimo hoc Viro nactus sum dicendi occasionem, grata adeo mihi est, ut dimittere illam nefas omnino judicem. De illo enim qui taceam, cujus incredibili diligentia multa hodie in manibus habemus, quæ de aliis dicamus? Quot ille Virorum facta ab oblivione vindicavit, quorum nomina, si id non fecisset, tenebris jam premerentur, aut premi saltem potuissent? Quis Prætorio res Patrias diligentius contexuit? Quantane semper patientia vel in minimis conquirendis usus est? Injurius proinde in pios manes ejus essem, vitam nisi Scriptaque Viri, nemine id hæctenus agente, Lectori quam paucissimis exhibeam.

Ephraim Prætorius, Ministerii Thoruniensis Senior, & ad ædem D. Mariæ Pastor, limen vitæ ingressus est Gedani, anno 1657, die II Martii. Patrem coluit Georgium Prætorium, Johannitanæ & postea Scholæ Marianæ Collegam industrium. conf. Athenæ Gedanenses pag. 181. Quam exosculatus fuerit Matrem, me plane præter-

it,

cum ejus longe clarissimum. Eorum ille pestilentia suffocatus

it, neque ex quo id quæram, ullus in promptu est. Ipse vero a primis statim vitæ incunabilis non obscura animi ad studia proni signa edens, rudimentis literarum bene adeo imbutus est, ut dignus esset, qui patrium in Athenæum transcriberetur. Annis sex magna cum utilitate in Musarum hoc domicilio contritis, scholas superiores meditans, Wittebergam 1679 iter constituit, soli se Divinæ committens Providentiæ. Patre enim opibus destituto, nullos ab ipso literarum sumptus sperare unquam potuit. Viam paranti duos florenos dedit, piis votis adeo postmodum auctos, ut redux factus non eos tantum integros, sed plures insuper thaleros secum apporaret, quod ei magnæ omnino est gloriæ. Lectionibus Wittebergæ clarissimorum toto orbe Theologorum præmunitus, anno 1681 Lipsiam contendit, in addiscendis Theologo disciplinis nil intentatum relicturus. Melioribus literis ex animi sententia abunde dives, natale solum 1683 tandem repetiit, & biennio hic gentium exacto, a cætu fidelium Münsterbergenfi ad officium Ecclesiasticum obeundum vocatus est, quo facto a Ministerio I. A. C. Gedanensi sacris initiatus, Dom. X post Trinit. suo cepit primum fungi munere. Tantum vero abest, ut memoria absentis tunc deleta fuerit, ut potius 1698 in Patriam ad Ædem Lazari accersitus, die Paschatos primo suggestum ascenderit. A Confessionibus præterea, pro munere hujus ratione, illis etiam erat, quos mendicitatis evitandæ causa publica domus (vulgo Spend-Haus dicta) continet, cujus templum prima vice inaugurali sermone anno 1700, die 2 Julii, Deo consecravit beatus Prætorius. Ad ædem deinde D. Jacobi 1702 Pastor animarum designatus, Domin. Misericordias Domini novum munus hoc in se suscepit. Deo vero rerum humanarum arbitro sic volente, patriis discedere terris ipsum oportuit, D. Paulo Hoffmanno fati extincto, Thorunium 1705 Senior Ministerii & ad Ædem D. Mariæ Pastor publicis adscitus literis. Vocationem hanc Divinam ratus, fidei suæ hætenus commissum gregem valere iussit, & Domin. XVI post Trinitatis inauguralem officii sui concionem habuit. Anno 1706 die 5 Octobr. templum S. Georgii recens exstructum initiavit, & quousque Dispensatorem Mysteriorum Divinorum apud Thorunienfes egit, plures etiam in vineam Christi ope-

tus est, hic domum sæviente malo infestam adeo habuit, ut

H 2

ma-

operarios, Michaëlem nempe Ringeltaube, Joh. Reinhold Böhmi-  
um, Christ. Henricum Andream Geret, Ministerii hodie Senio-  
rem longe gravissimum, Gottlieb Köliche, M. Johannem Rechen-  
bergerum, Henricum Prochnau, dato hoc ordine, introduxit.  
Quod ad privatas Optimi Viri necessitudines attinet, id tantum bre-  
vibus refero, quod matrimonium cum pudicissima Virgine Barba-  
ra, stemmate Cierenbergiano oriunda, contraxerit, ex pestilentia  
(ut supra jam dictum est) 1710 obeunte. Effusissimum maritæ hu-  
jus amorem viginti quinque annos expertus, ea conjunctione, con-  
cordia & svaivitate cum ipsa vixit, ut idem velle idem nolle utrius-  
que semper fuerit tessera. Ad secunda deinceps vota properans,  
uxorem duxit Elisabetham, Wilhelmi Lenskenii Novæ Civitatis  
Scabini filiam, multijugæ virtutis Virginem. Hæc ipsi tres dedit  
liberos, Annam Elisabetham anno 1717, Catharinam 1720, & Natha-  
naëlem 1723 progenitos, ex quibus natu maxima diem suum obiit.  
Ad Senectutem provectus morbum incurrit molestissimum, quo  
ingravescente cum valetudine in gratiam non amplius rediit. La-  
boravit tumore femoris in dies admodum succrescente, ut excissus  
postea viginti pondo par esset. Ex hominum conspectu morte  
decessit 1723, d. 14. Februarii, natus sexaginta sex, & officii functus  
triginta octo annos. Innotuerunt vitæ ejus integritas, mens in-  
genua, larga in pauperes manus, illibata in Deum pietas & perti-  
nax plane, nec doloribus morbi superanda diligentia, tot scripto-  
rum fecunda mater, indelebile nomen ejus reddentium. Quæ foras  
scripta protulit (de manu exaratis, quorum non parva adhuc super-  
est copia, haud agam) sunt sequentia:

- 1) Exercitatio Theologica de Jona, sepultum atque resurgentem  
Salvatorem mundi adumbrante, ex Matth. XII, 40. Præsiede D.  
Ægidio Strauchio, Dantisc. 1674, 4.
- 2) Dissertatio Philol. Theol. de actu speciali Providentiæ Divinæ  
circa justum in custodiendis ejus ossibus integris, ex Psalm. XXXIV,  
21. Præsiede D. Joh. Andrea Quenstedio, Wittebergæ 1681, 4.
- 3) Atheus proprio gladio jugulatus, ex Cohel. III, 18-21. Præsiede D.  
Michaële Cobabo, Rost. 1683, 4.

4) Ho-

maritam expirantem amittens, vixque sibi meliora auguratus,  
ZER-

- 4) Bibliotheca Homiletica, oder Homiletischer Bücher-Vorrath über die gantze Bibel &c. Dantz. 1691, 4.
- 5) Gottgefälliger Bibel-Fleiß in 2 ausführlichen Predigten, oder Unterricht, das, und wie man die Bibel lesen solle. Dantzig 1693, 8.
- 6) Bibliotheca Homiletica, vermehret bis auff die Helffte, nebst einer doppelten Zugabe, Leipz. 1698, 4.
- 7) Geistliche Seelen-Taube, über: Valet willich dir geben, in fünff Predigten, nebst noch einer Predigt über den Vers: Gute Nacht ihr meine Freunde, Leipz. 1700, 8.
- 8) Würdiger Tisch-Gast bey der Taffel Jesu Christi, Leipz. 1702, 16. & ibid. 1703. & 1705.
- 9) Dantziger Lehrer Gedächtniß, Leipz. 1704, 8.
- 10) Sonderbahrer Tauff-Actus eines 10jährigen von Lutherischen Eltern gezeugten Mädgleins, Dantzig 1705, 4.
- 11) Regenten nach dem Hertzen Gottes, oder Kühr-Predigt, ex Exod. XVIII, 21. Thorn. 1706, 4.
- 12) Bibliotheca Homiletica Continuatio, Lipf. 1708, 4.
- 13) Christliche Lebens-Regeln in zween Jahr-Gängen aus denen ordentlichen Evangelii, Thorn 1712, 8.
- 14) Dantziger Lehrer Gedächtniß, verbessert und continuiert, Dantzig 1713, 8.
- 15) Athenæ Gedanens, Lipf. 1713, 8.
- 16) Würdiger Tisch-Gast, editio quinta, vermehret mit Gebets-An-dachten ex Scrivero, Thorn 1713, 16mo.
- 17) Evangelische Gedenck-Reime, Thorn 1713.
- 18) Letzte und beste Beforderung eines treuen Dieners Christi zur höchsten Ehren-Stuffe, in einer Leich-Predigt super Joh. XII, 26. Thorn 1714.
- 19) Worte geredet zu seiner Zeit, oder Casual-Predigten, XX an der Zahl, nebst einer Parentation, Leipz. 1718, 8.
- 20) Göttliche Sendung guter Hirten, seu Introductions-Predigt ex Joh. X, 11-16. Thorn 1717, 4.
- 21) Bibliotheca Homiletica III Pars, Leipz. 1719, 4.

ZERNECKIO curam rerum suarum post obitum habendarum multis precibus injungeret, quam fidi amici vicem magnopere doluit.

### §. XI.

Hos fati dubios ictus secreta æstimatione pensantes ultro largimur, non casu illos, sed divino nutu ZERNECKIVM toties pulsasse, ut majoribus olim obnoxius, invicto animo vel mortem ipsam contemneret. Certum est, varios atque ancipites volubilis fortunæ motus sæpius existere, ut humana mens, ubi speratis fallitur, insperata feliciter adsequatur. Qui enim

ad mala jam pridem non rude pectus habet, facilius adversa feret, quam alii, quibus utramque fortuna mammam perpetuo lactandam præbuit. Exemplo nobis ZERNECKIVS esto, qui exorto rerum Thoruniensium ubique pervulgatarum turbine, interritus ea omnia perpeffus est, quæ paucis jam exponenda sunt, ita tamen, ut nemo a nobis plura postulet, quam nostri permittit instituti ratio. Neque enim historiam illorum motuum scribimus, sed res tantum ZERNECKII eo tempore minus prosperas breviter commemorabimus.

### §. XII.

Harum causa tumultus erat, anno 1724, die 27. Julii advesperascente excitatus, qui vix quatuor horas detonans, ZERNECKIO plebi sollicitius inclamante, demum sedatus est. Re vero in Aulam Regiam postmodum delata, civilis insaniæ inquisitio, in S. R. Mts Judicio Assessoriali, mense Septembri, ex Man-

H 3

dato

22) Bewehrter Schlag-Balsam, ex 1. Tim. I, 15. 16. oder Leich-Predigt, Thorn 1719. F.

23) Das Gottgefällige Beicht-Kind, Wittenb. 1721, 4.

24) Ein tüchtiger Lehrer der Christlichen Gemeine, oder Introductions-Predigt ex Joh. VIII, 46-59. Thorn 4.

25) Der verwirrt aber wieder zu recht gebrachte Maleficient, nebst Vorbericht und Anhang, Thorn 1722, 4.

dato instituta fuit, cui nulla se pallefcere culpa literis probatum dedit Præ-Consul Optimus, nemini non diu jam apertis. Verum enim vero his frustra exaratis, ipse pariter cum ceteris, mense Novembri, capitis judicatus est, & rebus deinceps mense Decembri ad supplicium paratis, ultimam mortis necessitatem, die horaque statis subeundam, denunciari sibi exaudivit. Mox plures, iique acerrimi, advolarunt suasores, enixe conati, ut lethum effugiturus Lutheranorum Sacra cum Pontificiis commutaret, nec Religionis suæ quam vitæ esset cupidior. Tantum vero abfuit, ut eo adduci potuerit, ut potius desultoriam in Fide levitatem cane pejus & angue fugiens, sospitatrici rerum mortalium Providentiæ se commiserit, impigre moriturum. Tunc biduo interjecto, supplicium capitale ex dato in alium diem elatum est, ut mora ipsi animum mutandi esset integra. Cum intra hoc quoque temporis spatium Religionem deserere religioni sibi duceret, sententia mortis auribus ejus denuo incussa est, ad quam divina gratia promptus etiam & paratus extitit. Sed ecce! ardentiore interea studio Optimates, Nobilitas maxime Culmensis & Cujaviensis, Clerus, tota Civitas, & Actores ipsi pro salute Vice-Præsidis ZERNECKII orarunt, quibus suffragantes delegati illustres ad executionem Judices, prægnantibus missis in Aulam Regiam literis, Clementiæ Serenissimi Regis tandem eum reddiderunt participem.

### §. XIII.

Fatis hujusmodi durioribus patienter (mirum enim vincendi genus patientia est) defunctus, animum tot molestiis implicitum, itinere aliquo, quemadmodum in juventute moris ipsi olim fuerat, remissurus, fratre graviori morbo Gedani decumbente, cursum eo flexit. In urbe hac aliquandiu postquam moratus erat, rumor multo falsissimus increbuit, reditum in Patriam dubium adeo reddens, ut in hunc usque diem Gedani vitam agere satius duxerit. Quam tristis autem sit con-

conditio, Patriam, totius cognationis gregem, amicos, & quæ non alia? deferere, ii omnes ingenue confitebuntur, qui casus hujusmodi rectiori secum via reputare non fastidiunt. Sed felicem illum, qui summis calamitatibus parem gerit animum, quibus virtutis magnitudo maxime approbatur! Quod ad munera attinet, a Magistratu Thoruniensi quotannis absenti oblata, re ipsa perfungi illis non quidem potuit, sed ope Dominorum Collegarum usus, cetera votis & precibus absolvit.

## §. XIV.

Jam nulli dubitamus, fore ut hunc factorum Zerneckianorum cumulum quisque omnino gravem judicaturus sit, sic ferente fortuna humeris ejus impositum. Multa quidem, ut certum est, sors benigna ipsi indulsit, si ortum ejus, si festinatos honores, si exaggeratum virtutibus animum, & id genus alia reputes; nemo tamen ibit inficias, majora propemodum esse, quæ perpeffus est, ut varia fati inclementia exercitus documento esset posteris, nihil desperandum, nulli rei fidendum esse, cum videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi.

## CAPVT IX.

DE

## VIRTVTIBVS ZERNECKII MORALIBVS.

## §. I.

**N**on opus sane est, ut facta jam Zerneckianæ Vitæ mentione, prolixè in virtutes ejus excurramus, cum nemini amplius possit esse incognitus. Ut taceamus, quod longa laudum expositione, gratam auribus ejus escam colligere forte videremur, a quo tamen assentandi genere tantum modestia ejus, quantum genii nostri abest simplicitas. Liceat proinde nobis esse non ex inopia dicendorum, sed sponte sua brevibus, calamum ad moderationem Optimi Viri submissuris,

nec

nec tam verentibus, ne nos in laudibus suis parcos, quam ne nimios, putet.

§. II.

Quam autem vis primo loco ex Virtutibus ejus adducamus? An pietatem, an justitiam, an humanitatem, an vitæ integritatem, an robur animi, an ex reliquis aliam? Nobis perinde esset, nisi omnium virtutum principium & finis foret pietas, cui a puero semper studuit ZERNECKIVS. Hanc fontem omnis sapientiæ rarus illibatam jugiter tenuit, hac propitium Numen expertus est, hæc rebus adversis presso invictum reddidit animum, hac vicit, hac victurus est. Parem in illo meretur laudem amor justitiæ, quem suis in muneribus, æqui tenax, conspicuum adeo fecit omnibus, ut nobis tacentibus ab aliis laudetur.

§. III.

Quid de integritate Vitæ dicemus? Hæc pietati ejus semper respondit. Quid de Humanitate? Hæc diu jam multorum mentes in venerationem ejus rapuit, ac linguas solvit in præconia. Non triste supercilium, non in arrogantiam arrecta frons, non vox aspera quenquam removit a ZERNECKIO, Civium Rectore pariter ac Parente, nemini nisi iniquis aspero. An robur animi collaudemus, malis nec fracti, nec secundis elati? Fata Viri intuere, simulac constantiam mentis intelliges singularem & in exemplum ituram. Quid multis?

Nosse Viri titulos omnes vis laude sub una?

Non assentati verissime dicimus: ZERNECKIVS Præ-Consul Vir est gravis, pius, justus, prudens, multis experimentis eruditus, cujus famam pennæ remigium æternam præstabit, quamque per orbem terrarum sparsam, nulla temporum vis, nulla ætas extinguet.

§. IV.

Plura dici, re non desiderante, vela tandem contrahimus, Deum ex animo venerati, ut Zerneckiana domus tot majorum



lorum incumbentium eluctata procellas, quod proverbio loquimur, in portu naviget. Præstet divinum Numen Amplissimum Præ-Consulem diutissime sospitem, eumque iis vitæ præfidiis ornet, quæ piis votis expetere potest fors mortalium. Tueatur Conjugem ejus, Comitern utriusque fortunæ hactenus laudabilem. Tueatur magnæ spei Filios, ut Patre humanis rebus exempto, supersint

- - Phœnices sacro de funere vivi!

Tu vero, Lector Benevole, valeas, & iis omnibus, quæ dicta sunt, libertatem, fidem & veritatem constare, sis persuasus adeo quam qui persuasissimus. Vale.

Tantum!

DISSERTATIO THEOLOGICA

De Statu Infantium, a Gentilibus progenitorum, cum in infantia decedunt, quam Præ-

siede D. JOANNE FECHTIO, ad diem 29 Decembr. Anno

1697, in Academia Rostochiensis, publicæ disquisitioni

subjecit Auctor JACOBVS HENRICVS ZERNECKE,

Thor. Boruffus.

Venerando Thoruniensi Ministerio, Viris Summe Reverendis, Excellentissimis, Doctissimis ac Devotissimis,

DOMINO SENIORI,  
PASTORIBUS,

Cæterisque verbi divini

MINISTRIS,

De Ecclesia Christi bene-meritis & merentibus indies, Dominis, Fautoribus & Patronis, Sacrum!

**S**EXTUS volvitur annus, VIRI CELEBERRIMI, ex quo, ceu optime nostis, Musis derelictis Paternis illustriora eorum domicilia in exteris posita oris & Academiis salutavi, atque ab iisdem, quod DEI Trinunius gratia est, in solidiori rerum Theologicarum scientia innutritus semper vixi, donec tandem DEO & Parentibus placuit, me e Toga ad Pallium, e Legibus divinis ad Civiles provocare, atque sic ad augustum Augustissimi Imperatoris Symbolum Pietate & Justitia imbutum me, ex Academiis reducem, intueri. Cui justissimo jussui cum promptissimum gessissem morem, æquum statim duxi, ne ex trito hocc Musarum tramite plane ἀσύμβολοι & jejuna abiisse viderer, specimen quoddam Theologicum viribus qualibus qualibus, dicam juvenilibus, excoctum in lucem proferre sub tutela Splendidissimi Nominis VESTRI, ut ita a luce Vestra quandam sibi conciliare posset lucem. Vos ei Tutores, imo Patres advoco: Tangite, tollite expositam infirmam hanc infirmioris ingenii prolem, atque eandem imprimis favoris Vestri scuto defendite & securitate donate. Accipite, quod offero, tanto affectu, quanto ego VOBIS placere annitor. Chartaceum quidem hoc transmitto munusculum, ex affectu magis, quam effectu, æstimandum; Sic erit, ut Vos si opellam hanc qualem qualem non improbabit, gratuler mihi, VOBISQUE inserviendi nullam non arripiam occasionem. DEVS interim TER-OPTIMVS TERQUE MAXIMVS diu Vos Ecclesiæ & Patriæ meæ bono servet sospites & incolumes, donec longa placidaque senecta ex terris in cœlum evocemini. Valet, atque ex animi sententia, ac publico voto, vestras res præclare gerite. Perscripsi Rostochii Anno 1697. die 14. Decembr.

V. V. Amplissimorum & Celeberrimorum Nominum

*observantia indefessus servitiis promptissimus Cultor*

JACOBVS HENRICVS Bernicke.

Ad

Ad Theologum, ob maxima in Ecclesiam merita Celebra-  
tissimum,

**D. SAMUELEM SCHELGVIGIUM,**

Allocutio Præsidis.

**A**Ccepi hesternò die Epistolam Tuam, Vir Summe Reve-  
rende, qua amicitia meæ & familiariori conversationi  
insinuas *Virum*, ceu Tute loqueris, *Juvenem, ob pietatem, dili-*  
*gentiam in studiis, animique bonitatem Tibi perquam charum,*  
JACOBVM HENRICVM ZERNECKE, Thorunio Borussum,  
Tuum per duos annos & convictorem & domesticum. Hunc  
ais, & perspecta quidem atque abunde explorata fide, talem  
se apud Vos gessisse, ut aliis exemplo suo præluxerit, ante abi-  
tum quoque Disputatione adversus Quakeros habita, luculen-  
tum eruditionis specimen, fortiter se in cathedra gerentem,  
edidisse. Rogasque, ut in adornanda alia ab ipso disputatio-  
ne Præsidis officium ne denegarem. Venerat utique ille ad  
Nos tribus abhinc mensibus, postquam Lipsiæ Clarissimos in  
omni eruditionis genere Viros singulari cum profectu audivisset,  
aliorumque eruditorum animos, suscepto per superiorem  
inferioremque Germaniam, Hungariam atque Daniam, stu-  
diorum morumque excolendorum gratia, itinere, sibi concilia-  
isset. Vidique illico atque deprehendi, non e vulgo illum  
esse, sed ad laudata quævis concitato cursu grassari. Scripserat  
de illo, ante quinquennium, cum e Gymnasio patrio ad  
illustre Athenæum Vestrum concederet, Excellentissimus  
Theologus, Gymnasii tum quidem Rector, D. P. HOFFMAN-  
NVS: *non mediocriter dolere se abiturum hominis modestissimi, Cortis*  
*ipsorum per multos annos alumni, qui ipsos nisi præmaturo discessu*  
*suo offenderit nunquam, gratularique se illustri Gedanensium Atbe-*  
*næo, quod tam pingvis & nobilis præda in casses illius incidat. Id*  
*tamen se solatii sibi relictum putare, ita a se excoctum & præpara-*  
*tum Zerneckii pectus esse, ut quæ restant, facile addi & ab aliis sup-*  
*pleri possint.* Hanc equidem spem eximie hætenus implevit,  
implebitque posthac ingenio atque industria, immo aliquan-

do superabit. Obtulit ille mihi Disputationem, a se quidem & suo Marte, nisi quod ob materiæ rarius pertractatæ difficultatem paucillum quidpiam mearum meditatiuncularum nonnunquam adjeci, elaboratam, e qua Clarissimi Juvenis & conquisitam continuo labore scientiam & pulcherrimum de rebus gravioribus judicium Lectores facile deprehendent; sed cum hoc ipso Meletemate Vale se Theologiæ, serio a se hæctenus excultæ, dicturum, adpositurumque ad Jurisprudentiam animum, mihi significasset, in admirationem primum & quendam quasi dolorem, quod virtutes tam eximiæ & expectatio non vulgaris ordini nostro subtraherentur, adductus, mox conquiescere cœpi, quando iis se ad hoc propositum rationibus commotum esse indigitavit, quæ conscientiæ ex omni parte satisfacerent. Quibus Tu, Vir Magnifice, eo libentius adhibebis fidem, quo magis perspecta Tibi est ZERNECKII Tui pietas, ab omni fuce aliena, qui quidlibet facere patique potius paratus esset, quam ut quocunque facto, minus a Theologia nostra probato, Deum religionemque offenderet. Quamobrem dum posthac inter Politicos numerabitur, solidioris puriorisque Theologiæ fundamenta eum imbibisse nos nunquam pœnitebit, cum hoc ipso specimine, tanquam publico solennissimoque instrumento, fidem suam sancte nobis oppignoret, nunquam fore imposturum, ut personatorum illorum Jctorum exemplo, qui & hodie in ipsam Theologiam nostram vel temerariam manum immittunt, vel furiosum dominium affectant, & in quos Te nuper justa indignatione publice investum esse in literis Tuis significas, sacratissimæ religionis mysteria, pietatemque cum salutari notitia conjunctam, quocunque ausu labefactet. Quin potius justitiam cum pietate conscientiæque puritate perpetuo conjunget, & cum pietatis altera pars sit rectus de Deo rebusque Divinis sensus, sine quo cultus supremi Numinis Pietatis titulo mendaciter superbit, & cœcæ superstitionis nomine dignior est, nunquam committet, ut in quacunque parte, promovendæ veritati & eliminando errori,

rori, officio suo unquam desit. Rectius nunc, quam plurimi alii, novit, quæ pestes hodie Ecclesiam nostram affligant, ex uno nimirum latere profana credendi licentia, quam vel Atheismum vocare possumus, vel Naturalismum, quibus se hujus seculi homines involvunt, ex altero sancta superstitio, quam merito vel Pietismum appellamus, vel Fanaticismum, cui cæteri, qui omnium maxime a mundo remoti esse videri volunt, sunt immerfi. Utriusque periculum, qui civilibus negotiis dediti sunt, vulgo neque intelligunt satis, neque penetrant, & cæco nonnunquam affectu in alterutrum feruntur. Hunc scopolulum vitare posthac ZERNECKIVS eo felicius poterit, quo rectius solidiusque, Te primo & inæstimabili doctore, eundem cognoscere didicit. Quare nihil nunc superest, quam ut eadem & gratiam Spiritus Sancti, etiam in hoc, quod aggressus est, studio, perennem & successus ipso voto majores & animi denique, nunquam justitiæ magis quam pietati devoti, constantiam ex toto pectore adprecemur. Vale, Vir Excellentissime, Ecclesiæ nostræ ornamento. Scrib. Rostochii, d. XVIII. Decemb. MDCXCVII.

*Nobilissimo atque Doctissimo*

**DN. ZERNECKE**

S. P. P.

JOHANNES JOACHIMVS SCHOEPPFER,

J. U. D. & Profess.

**E**X eo tempore, quo Te, Vir Politissime, Rostochiensium admirata est terra, Lipsiaque Te, omni virtutum ac eruditionis genere instructum, agre dimisit, tanta legum nostrarum te tenuit memoria, tantaque veneratio, ut vel contra minimam ejus partem peccare sacrilegii instar æstimaveris. Cum ergo inter alias saluberrimas hujus Roseti leges Academicas IV disponat: *Ne quis sine studiorum specimine discedat*, huic quo-

que ex asse satisfacis, atque in arenam descendis disputatoriam, suavissima studiorum editurus specimina. Gratulor hinc nostræ Almæ Matri, Academiæ, de tanta humanitatis tuæ, in eam, pietate atque de Legum cultore assiduo. Gratulor patriæ de Cive optimo, magnæ spei futurorum fructuum. Gratulor denique Tibi de studiorum Theologicorum hoc insigni specimine. Macte virtute tua! fac alios tuo incendas exemplo, quo legum sua constet sanctitas atque observantia, sic nunquam uberius tibi gratulandi deerit materia. Vale, ac indies majora studiorum cape incrementa. Scrib. Rostochii d. 18. Decemb. Anno M. DC. XCVII.

### PROOEMIUM.

**C**um, teste Doctissimo *Casaubono*, (a) gratior & utilior sit res, si vel unum Scripturæ Sacræ dictum difficultatibus aliquibus obstructum explicetur, quam si vel mille profanorum scriptorum loca depravata corrigantur; haud immerito speciminis loco Academici me ejusmodi materiam elegisse puto, in qua non Scripturæ duntaxat Sacræ dicta difficultatibus aliquibus pressa explicantur, sed quæstio quoque in Theologicis haud supererogatoria ventilatur, & curatius examinatur. Equidem prævideo, forsan non defore quosdam, qui super hisce conatibus meis aliquos contentionis vel censuræ potius funiculos ducent, meque cum nimix & inutilis curiositatis, tum temeritatis sat grandioris inculabunt. Inculabunt curiositatis, quod videlicet falcem meam in segetem ejusmodi immittere ausus sim, qua forte carere area Theologica sine æterno dispendio salutis posset. Temeritatis autem, quod miser ego pulso cum viris supra omnem exceptionem præstantissimis, nulloque non eruditionis suppellectili instructissimis conferre sententias, rationum examinare pon-

(a) In monito ad filium Jf. Casaubonum, cum notas in Diog. Laërtium ederat.

pondera, atque a multorum fat trita & adeo tantum non regia, ut videtur, via deflectere coner. Ast secus profecto sese res habebit, si præproperæ hujus censuræ curatius & solidius nervos & poplites incidere perrexero. Constat enim, quæstionem præsentem non mere problematicam esse, de qua citra periculum in utramque partem disputari queat, sed potius talem, quæ, si aut incaute aut prave decidatur, de facili Orthodoxæ doctrinæ capita luxare, quoad ipsos loquendi modos hæreticis quicquam concedere, atque ad *ἀγράφας ναυτοσίας* viam sternere potens sit, quare & tam sollicito pede incessisse, quotquot ex nostris partibus hanc quæstionem attigerunt, videmus. Temerarius *Zwinglii* ausus & nova *Edvardi Herberti* placita de adulatorum Gentilium salute, quomodo per vicinas hypotheses, quas *Calviniani* ideo allegant, suffulciantur, ex infra dicendis fat patebit, & vereor, ne ipsi *Anabaptistæ* novique *Propheta* iisdem pugnis & cladibus Cathedras nostrorum Theologicas & Ecclesiasticas incalescere faciant. Hoc præsupposito, curiositas forsan mea in tam præcipiti cursu haud erit, utpote quæ etiam adhæc prodromos suos in patribus longe clarissimis vidit, impræsentiarum licebit in solo *Augustini* & *Ambrosii* nomine acquiescere, qui in hac quæstione decidenda nonnihil desudarunt, nec tamen operam hanc suam in tricis & apinis collocasse dicendi sunt, ut jam silentii peplo involvam scriptores proximæ ætatis doctissimos, qui in eundem chorum suum intulerunt pedem, ceu testes oculati sequentes erunt pagellæ. Adhæc lubens libensque fateor, exactam hujus quæstionis scientiam nobis Christianis non quidem absolute & in se necessariam esse, utpote quam citra salutis nostræ dispendium utique ignorare possumus, tanquam certissimi de forma & norma nostræ fidei, & eorum, qui curæ nostræ propius commissi sunt. Ast nihilominus non parum necessariam eandem fore ex accidenti & propter varios variorum adversariorum insultus, nemo forsan inficias ibit, quem non fugit, quantis ausibus iidem iisdem argumentis veritatem nostram

in aliis etiam fidei articulis labefactare & de ponte dejicere conentur. Hinc in pace de armis cura subeunda, quibus instructi de facili suppetias veritati dare valebimus. Nonnulla enim sunt, quibus carere possumus in pace, non item in bello: Panis ad vitæ conservationem satis est, ad medicinam insuper apotheca requiritur. Nec is statim curiosi nimis indagatoris nomen juste incurrit, qui rem aliquam arduam ex fundamentis Scripturæ decidit, & judicium ex ore depromit divino; aut temeritatis ille incusandus venit, qui nonnullorum doctissimorum virorum autoritate modeste seposita, suffragia aliorum rectiora & tutiora arripit, atque in iis defendendis non tam copiam autoritatis, quam lumen veritatis undiquaque relucentis sectatur; potest quippe accidere, ut ab uno quopiam autore, illustris præsertim si sit, opinantium multitudo non impio, sed humili timore correpta procedat, quæ deinde, semel affectu occupata, illius effata minus Achillea contra stomachum veneratur & approbat, quem præposterum zelum multorum temporum calamitatem fuisse nemo est, qui nesciat; hinc enati Doctores Irrefragabiles, Angelici, Seraphici, aliaque portentosæ hujus inscriptionis nomina, in Ecclesia Orthodoxa nequaquam toleranda. Quapropter nemo conamina mea in pejus rapiet, quod in hac sat gravi materia decidenda particularium Doctorum opinionibus & interpretamentis, quanquam nec hæc deerant, haud nimium me manciparim, sed potius tutissimo Sacræ Scripturæ ductui collum & mentem meam submiserim, spe hac fretus firmissima, sub umbone hoc veritatem hancce, quæ κατ' ἐπιστήμην est, sartam tectamque semper mansuram. Huic ergo fundamento innixus, & de favore summi numinis auxilioque certus, materiam hanc altius paulo pertractandam in me suscipio, atque *de Salute in Infantibus Gentilium ex Scripturis destruenda* cum Deo acturus, totam Dissertationem in quatuor divido Sectiones, quarum prima sententiarum diversitatem, secunda diversarum sententiarum Propositionem, tertia propositarum Examen, quarta Examinis usum tam



tam Theoreticum quam Practicum sistet. Faxit Deus feliciter! Quem cum *Augustino* (b) devota supplicatione supplex ita imploro: *Coram Te, o Deus, firmitas & infirmitas mea: Illam serva, istam sana: Coram Te est scientia & ignorantia mea. Ubi mihi aperuisti, suscipe intransentem; ubi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim Tui, intelligam Te, diligam Te!*

SECTIO I

*Sistens sententiarum Diversitatem.*

§. I.

**J**udicium de quæstione sane omnium judicio difficillima, ardua, atque a piis, illustribus & doctissimis Viris hucusque, brevibus licet, agitata: *An scilicet infantes Infidelium sine Baptismo decedentes salventur vel damnentur?* Judicium, inquam, laturo, illico oculis inerrat nostris judicium Salvatoris Luc. VI, 37. severe latum: *Nolite judicare, & non judicabimini, nec condemnare, & non condemnabimini, absolvite, & absolvemini.* Quod tamen nos hac vice haud ferire cuilibet obvium est, consideranti, hæc verba Salvatoris non tam de judicio mature ponderato, & ex ipsis S. Scripturæ visceribus hausto capienda esse, quippe quod apertis verbis adprobatur 1. Cor. II, 15. c. X, 15. quam potius, teste *Dn. D. Walthero* in *Harmonia, de judicio temerario & præsumptuoso*, ceu præsens nostrum minime erit. Certum enim est, nec negari absolute potest, tales nonnunquam incidere posse casus, quibus positus, in divinarum dispensationum causas non male inquiritur, modo ne in indagatione illa altum nimis quis sapiat, in fidei analogiam non arietet, conjecturasque denique mere tantum probabiles, imo sapius ne vix quidem probabiles invictorum loco argumentorum imperitioribus non obrudat. Hinc lubentes cum *B. D. Brentio* fatemur: *Quod importunum, imo impium foret, si præfractius judicium Dei investigavemus, vult ut judicia ejus occulta vera judicemus, etiamsi nobis nihil minus videantur, tamen si reverenti corde ejus causas imploremus, est quod dignetur nobis revelare.*

K

§. II.

---

(b) In fine commentariorum de Trinitate.

§. II. Eadem & nos ratione impulsī materiam hancce bono cum Deo nobis sumimus pertractandam, atque iudicium hic offerimus nostrum non tam iudices, quam ut testes, contemplatores & admiratores divinorum arcanorum. Ast mirum est, quod tam vario & ancipiti Marte rationum & autoritatum veluti insigni armorum præsidio hic decertetur & disceptetur a Viris doctissimis, quos dissensus in ipso dissertationis limine sistere non videtur Mæandris effodiendis operam dare, aut Dædaleæ sudorem impendere exstruendæ fabricæ, si in antecessum diversas diversorum horum Virorum sententias in tot diversas Classes includamus, quippe qui labor tutiorem melioremque viam sternit ad pleniorē mentis eorum indaginem ac perfectiorem cognitionem verborum sæpe nutantium, & hinc facem quasi lucentem Lectoribus præferet.

§. III. Sunt autem autores in hac Controversia & Quæstione quintuplicis differentiæ, quas jamjam recensere operæ suum erit pretium: *Alii enim quæstionem hanc plane indecisam relinquunt: Dubiis alii nimium indulgentes, nil nisi dubia quoque hic propinant; Bonæ spei vestigia passim in scriptis suis spargunt alii; alii iudicium suum fundamento mediæ scientiæ divinæ inædificant: Tandem alii sententiam, ut multis videtur, duriusculam ferunt, atque damnationem omnibus infidelium infantibus, vel quoad pœnam damni tantum, vel simul etiam sensus adjudicant.*

§. IV. Hoc duntaxat in limine prænotandum venit, multos ex hisce Viris doctissimis inter tot rationum hydras felici vulnere renascentes sæpius ita pendulos hære, ut sæpissime videas Virum uni Classi addictum iterum alteri vel tertiæ quoque classi nomen suum & assensum submittere, atque inter tot sententiarum divortia plus iusto fidentius & inconstantissime sese divertere, certissimo indicio, tali nutantium ambiguitate rationum proprio quasi iudicio ipsos fidos non esse, & summam hujusce rei difficultatem agnovisse, quod fusius deductum sequens præbebit sectio.

SECTIO II

Siftens

*Sententiarum diversarum Propositionem.*

§. V.

**P**rima igitur *Classis* eorum est, qui in neutram vel nullam partem quicquam determinant, nec argumenta etiam ulla pro ulla statuminanda adducunt, sed simpliciter sese tractationi hujus quæstionis, etiam ibi, ubi agere de ea vel maxime poterant & debebant, subtrahunt, dicentes illud Veterum: Non liquet! & illud Apostoli: *Quid ad nos, qui extra sunt.* Hi proprie sunt, qui ἐποχήν eligunt, οἱ ἐπέχοντες etiam antiquis dicti, persuasi, nullam rationem esse, aut ex Scriptura deducendam, aut ex fidei analogia, aut loco quocunque alio, quæ in quamcunque nos partem, ut eam amplectamur, vel ad eandem propendeamus, inclinare possit. Tales sunt, qui vel disertis verbis hunc animi sui sensum profitentur, vel ipso silentio suo, ubi ad argumentum de infantibus ἀβαπτίσιος delabuntur, & tamen de Christianorum tantum infantibus iudicium suum aperiunt, eundem insinuant: Quorum verba supervacaneum foret adduci.

§. VI. Unum memorabimus *Gerbardum*, Principem nostræ Ecclesiæ post Megalandrum Lutherum, postque majorem ipso Gerhardo Chemnitium, Theologum; ita namque ille Loco de Baptismo §. 237. inquit: *De infantibus extra Ecclesiam natis dicimus cum Apostolo 1. Cor. V, 12. Quid mihi de iis, qui foris sunt, Deus judicabit: quare cum de illis nulla exstet promissio, ideo iudicio DEI eos committimus, nec tamen locum quendam inter cælum & infernum intermedium statuimus, de quo altum in Scripturis silentium.* Idem eandem ἐποχήν eligit in Confess. Cathol. lib. II. part. II. art. 12. p. m. 885. inquiens: *Quod attinet Gentilium infantes extra Ecclesiam, illos ut salvari certo pronunciare non possumus, cum nihil hac de re in sacris exstet definitum literis, ita nec simpliciter offefferare audemus, parvulos illos sine discrimine omnes esse damnandos. Proinde DEI iudicio illos committimus, 1. Cor. V,*

12. Et in comment. ad Matthæum p. 1112. de loco proxime citato sequentia addit: *Plerosque Theologos locum illum: quid ad nos οἱ ἕξω? accipere de infantibus Gentilium, cum de adultis utriusque judicare queamus.* Nec mihi ex operibus Viri ullus notus est locus, in quo sententiam suam aut mutaverit, aut in aliquam partem vel leviter inflexerit. Hunc ducem suum pressio sequitur pede *D. Seb. Schmidius* in *Compend. Theol. c. XXI. §. 38. p. 176.* scribens: *Infantes non Christianorum judicio divino permittuntur.*

§. VII. Omnium maxime huc pertinere videntur, qui illud Apostoli: *quid ad nos, qui foris sunt?* in ipsa literæ generalitate etiam Gentilium infantes involvere contendunt, quorum vero verba paulo post commodius afferemus. An enim illi huic hypothese conformiter poterunt quidquam, probabiliter saltem, circa damnationem eorum vel salutem asserere? Anne dicente Apostolo: Nihil constare de infantium Gentilium salute, aut judicium de iis ferendum non esse, nos judicium istud vel verisimile feremus? Hi tamen, si ulterius progressi, qualecunque judicium tulerunt, sibi ipsis adversati esse putandi sunt, ceu in §. ultimo superioris sectionis non immerito observavimus.

§. VIII. Sequitur *Clossis* statim *secunda* eorum, qui quamquam hanc ἐποχὴν non reprobent, sed statim initio judicii sui ex Apostolo eandem commendent, tamen deinde calculum suum vel condemnationi vel saluti talium infantum apponunt; puto non tanquam opinioni certæ & immotis argumentis probatæ, sed ceu probabiliori. Ut adeo hoc dicere velle videantur: non esse in sacris indubitata argumenta, quibus vel damnentur tales infantes, vel salventur. Nec etiam nostra quicquam interesse, sive salventur illi, sive damnentur, ut adeo indecisam relinquere hanc quæstionem, & de illa illud Apostoli: *Quid ad nos, qui extra sunt, vel usurpare, vel huc inflectere possimus: Nihil tamen obstare, quo minus ex argumentis verosimilibus disputemus, quænam sententia vel veritati propi-*

us accedat, vel recedat ab ea remotius. Quanquam enim quod in Scriptura decisum non sit, non sit omnino certum & indubitatum, prohibitum tamen ideo non esse, quin inquiratur, quidnam veritati magis sit consentaneum.

§. IX. Agmen ducat *Baldwinus*, Vir doctissimus insignibusque scriptis clarus, qui in Comment. 1. Cor. V, 12. p. 349. hanc quaestionem de salute infantum infidelium vocat *curiosam potius, quam necessariam, quæ in Scriptura nullam decisionem habeat, in qua parum proficiant Christiani, de qua verum sit illud Augustini: Quæ Deus occulta voluit, scrutanda nobis non sunt.* At huic opinioni Vir Celeberrimus non est adeo immortuus, sed sui quasi non satis memor, nec rationis a se adductæ, nihilominus eandem alibi, scilicet in casibus suis conscientiosis, pertractat, qua de re infra agetur.

§. X. His accedit & judiciosissimus Theologus, *Danbauwerus*, calculo suo eadem effata approbando: *Supereft*, inquit ille in Hodosophia Phœn. X. p. m. 729. *ut aliquid etiam dicamus, vel potius non dicamus de infantibus* Ἰσὶς ἔξω. Et post pauca interjecta verba addit: *De infantibus Ethnicis cita morte abreptis solum manet quaestio; sed manet quaestio. Hic fibula esto & linea, ubi scriptura (quæ ordinem divinum describit non item æconomiam) expresse nihil definit.* Quamvis quæ mens quæve hariolatio Virum hunc Doctissimum postea occupaverit, ex sequentibus ejus verbis infra dicendis penitus patebit.

§. XI. Pariter & *B. Calovius*, Commentatorum solidissimus, in Commentario ad I. Cor. V, 12. p. 298. eandem disquisitionem *curiosam nimis* vocat, atque dicit, *quod de hac quaestione soleamus usurpare illud: Quid nobis cum iis, qui foris sunt?* q. d. Quamquam sensus literalis hic non sit loci hujus, quippe qui, ipsomet Calovio teste, de judicio excommunicationis agat, tamen solemus verbis hujus dicti uti, quando indicare volumus, nihil nos de hac quaestione determinare posse. Atque rationem porro tradit: *Siquidem magis de nostra & eorum salute, qui com-*

*missi nobis sunt, vel fratres nostri sunt, debemus esse solliciti, quam judicare de extraneis in iis, quæ in S. literis dijudicata non sunt.*

§. XII. Atque huic sese hac ipsa in re ἀποψήφου καὶ σύμφωνου præbet Georgius quoque Calixtus tract. de Baptismo §. 127. in-  
*quiens: Curiose hic rimari nolumus, sed Deo potius totum commit-  
 zere, quam judicandi partes temere involare; parum enim facit ad  
 praxin.* Conspirat in hoc quam maxime cum D. Calovio, li-  
 cet in multis aliis quam validissime dissentiat, imo & in hac ip-  
 sa quæstione, utpote quam contrario asseruerat modo in suis  
 disputationibus p. 240. cujus sententiæ mentionem injiciemus

§. XLI. Verum in hoc loco citato mentem suam quasi corri-  
 gere videtur.

§. XIII. Iis, qui nihil hac de re revelatum esse dicunt, fri-  
 gidam, quod inter Veteres rarissimum est, suffudit olim *Fau-  
 stus Rejensis* (quomodo apud Veteres constanter legi potius,  
 quam Regiensis notavit Olearius in Abaco p. 160.) Gallicus  
 Episcopus. Is libro I. de Lib. Arbitrio cap. XIV. Tom. IV. Bi-  
 blioth. Patr. inter alia sic sua finit verba: *Non intelligis, quod  
 in veritatis injuriam perscrutaris, quicquid veritas scire te noluit?*  
 Allegatus circa hanc materiam a D. Dreiero in der Erörterung  
 p. 362. Sed de hoc scriptore recte D. Chemnitius Loco de Lib.  
 Arbitrio c. IIX. p. 204. judicat, fuisse Pelagio clanculum addi-  
 ctum. De quo fufius agunt Theologi Rintelenses in Epist. A-  
 pol. p. 50. seq. & contra Jacobum Sirmondum, Faustum illum  
 Sanctorum catalago inferentem, Phil. Buchius in libro consi-  
 deratione longe dignissimo, cui titulus est: *Fabula Hæreseos  
 Prædestinatorum, Sect. III. p. 137 seqq.*

§. XIV. His omnibus quam maxime jungimus *Balth. Mei-  
 snerum*, Virum de Ecclesia nostra longe meritissimum, qui in  
 Anthropologia sua Dec. I. Disp. VII. quæst. 2. th. 19. circa hanc  
 quæstionem, uti eandem ipse vocat, *undiquaque dubiam & satis in-  
 tricatum*, mavult τὸ ἐπέχειν tanquam rem tutissimam eligere, &  
*cum Augustino dicere: Non liquet: quam absolute temereque ean-  
 dem vel affirmare vel negare.* Postquam enim ille ex hypothe-  
 si

si aliorum non paucas rationes pro stabilienda & destruenda infantum infidelium salute adduxisset, tandem iudicium suum in silentium reponere tutissime præsumit, addens: *Se in hoc imitari Magnum illum Gentium Apostolum Paulum, qui raptus in tertium cælum, ibique rerum Theologicarum scientia accuratissima instructus, nihil tamen vel de morte vel de salute extra Ecclesiam natorum determinare voluit, sed humiliter dixit: Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare, 1. Cor. V, 12. Atque cum Caput XI. Rom. ingressus esset, pergit idem, considerationem operum & iudiciorum divinorum, videns non satis se percipere posse istam profunditatem, v. 33. exclamat: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI! &c. Qua de causa & nos de infantibus infidelium iudicium DEO unice committimus. Hucusque Vir Beatissimus ἐποχὴν suam tutissimam defendere conatur; cum vero forsan animadvertisset, se hoc modo litem hanc potius componere, quam sopire, insequentibus suis verbis circa idem negotium ita dubius & animi pendulus existit, ut mox a priori scilicet affirmantium, mox a posteriori sive negantium parte stare videatur, mentemque suam sat dubiam atque perplexissimam lectoribus reddat. Hinc non mirum est, quod idem Vir Doctissimus a D. Carpzovio Isagoges in A. C. p. 153. inter ἐπεχθύντας; a B. Hülsemanno Posthum. p. 370 inter duriores sic vulgo dictos & tandem a Vendelino Exerc. XXXIIX. §. XI. p. 580. inter bene sperantes referatur; quæ fata & alios Viros Doctissimos exceperunt, ut luce lucidius inferius patebit.*

§. XV. Tandem ut in hac Classe rem omnem per compendium agam, omnes hic mihi includendi veniunt, qui iudicium cum inclinatione vel in affirmantem vel negantem resolvunt, illudque verbis Apostolicis 1. Cor. V, 12. communiunt, in quem numerum, innumeris præteritis aliis, referendus occurrit D. Job. Adamus Osiander, quem Theologum ingenii acumine & laborum patientia nemini maximorum secundum, Ecclesiæ nostræ post Senem illum Divinum, D. Seb. Schmidium, nuper admodum ereptum esse exquisitissimo dolore merito

rito lugemus. Hic B. Osiander Tom. VI. Colleg. Syft. p. 133. defendit: *De Gentilium infantibus & eorum salute bene & licite posse iudicium suspendi, ex 1. Cor. V, 12.* Ante illum in hac nostra Academia D. Affelmannus scripsit: *Posse nos cum Apostolo dicere: Quid ad nos, qui foris?* Syntag. Part. I. p. 865. Cujus Magni Viri vestigia legisse videtur D. Henr. Müllerus, Sydus & ipse quondam Academiae hujus illustre, dicens in Quaestionibus select. Theol. Semicent. II. quaest. IX. §. 5. *De infantibus infidelium tanquam extraneis iudicium vetat Apostolus 1. Cor. V, 12. ideoque hos infantes DEI iudicio committimus.* Quibus se concordem praebet Doctor quoque Hunnius Tom. I. Oper. de baptismo c. XI. p. 1035. inquires; *Posse cum Apostolo Paulo dici 1. Cor. V. quid ad nos, qui foris sunt?* atque addit: *Hanc sententiam licet Paulus in byporbesi ad suum, de quo ibi tractat, institutum accommodet, tamen per se generalis est regula, vim θείας obtinens.* Eadem profert verba Tom. III. quaestionibus in Geneseos c. VII. p. 1505. & in Cap. XIX. p. 1584. & hunc secutus B. Scherzerus Syft. Loc. VII. §. XI. p. 169. scribit: *De infantibus Gentilium tanquam τοῖς ἕξω non iudicamus 1. Cor V, 12.* Quin & his accedit novissime Dnus D. Niemeierus, Disp. II. de statu Gentilium §. 61. in fine addens: *Nos illos misericordiae divinae relinquimus--- memores moniti Pauli 1. Cor. V, 12.* Et qui non alii? a multis multum citati, imo a B. Hülsemanno titulo modestorum insigniti, Posthum. p. 369. Hi sunt, quibus vel tutius visum fuit, vel certe per Apostolum licitum atque permissum, aut ἐποχῆν circa praesens argumentum eligere, aut infantes Gentilium divino iudicio gratioso an severo relinquere, ut tamen in hac ipsa ἐποχῆν haud quaquam acquiescentes, passim vel negativam vel affirmativam sententiam favore quodam fuerint persecuti, imo partim defenderint atque hinc effectitarint, quo illustria eorum nomina uni atque alteri adhuc Classi submittenda veniant.

§. XVI. Nescio an his accensere debeam & illos, qui dum videntur in alteram sententiam magis inclinare, alteram tamen



men aperte rejicere renuunt. *Jacobus Heerbrand* in *Compendio* p. 558 scribit: *Non generaliter omnibus sine baptismo morientibus, sed Christianorum infantibus in Ecclesia salutem promittimus. D. Tobias Wagnerus* Inquis. in *Acta Henot.* p. 419. *Quod infantes infidelium concernit, inquit, qui extra Dei fœdus & absque Sacramento Baptismi decedunt, sufficit eos in iniquitatibus esse natos, & a matribus suis in peccatis conceptos, Psalm. LI, 7. adeoque natura filios incredulitatis, Eph. II, 1. ut nihil attineat de ulteriori eorum reatu inquirere, quia si rigor divinæ justitiæ obtineat, hic eorum reatus ad damnationem sufficeret, utut impenitentia actualia peccata designantis reatu absolvendi veniant. Certo autem eos æternæ damnationi adjudicandos esse, nollemus sine πίστεω affirmare, quia inclinans in Dei misericordiam sententia, quæ his infantibus ad eorum salutem favet, probabilior esse videtur sententia rigorosa, quæ iisdem salutem æternam adjudicat. Quamquam præeunte Apostolo de illis dicere quis possit: Quid mihi de iis, qui foris sunt? ut taceamus in doctrina prædestinationis multa esse ἐπιχρύλασα, inter quæ etiam referenda est hæc de infantibus infidelium salebrosa quæstio B. D. Beyerus, Theologus longiori vita dignissimus, in *Compendio Theologiæ* p. 678. subdubitans, nec damnationi nec saluti eosdem adscribere vult, sed sequentia generalius concepta verba spargit: *De Gentilium infantibus, inquit ille, spem salutis æque (ac de Christianis) concipere ex revelatione divina non possumus. In ipsa Academia nostra D. Jo. Tarnovius* Disp. de Baptismo anno 1622. habita §. 45. *An Gentilium infantes sine baptismo decedentes æterno exitio pereant? non anxie disquirimus, potius DEI judicio eos relinquimus* 1. Cor. V, 12. *Scimus autem, quod, qui non credant, damnentur. Marc. XVI, 16.**

§. XVII. Jam *Tertiæ Classi* appropinquant bene sperantium & nomina & bonæ spei fulturas majori indaginis studio scrutabimur. Inter hos agmen ducere videtur *Maximus Theologus D. Danbauerus*, qui spem suam bonam duobus inædificat argumentis, quorum primum ex *analogia fidei* desumit, qua putat, neminem reprobari, nisi qui actu mediis

fidei resistat. Sic enim ille Hodosoph. Phœn. X. p. 729. (1001) inquit: *Quanquam quod bene de iis speremus facit 1. analogia fidei, ex qua constat, neminem absolute reprobari, solam resistantiam actualem mediis fidei adversam damnare, cujusmodi contumacia in infantibus τοῖς ἕξω non est.* Alterum fundamentum petit ex Scripturis, & quidem ab exemplo Infantum Ninivitarum, extra Ecclesiam a Parentibus, ceu ille loquitur, *Idololatriæ genitorum, quos tamen Dominus ἐλεήμων ὀφθαλμῶ respexit, ne perderet eos morte prima, sed gratiam vocationis ipsorum parentibus faceret atque parceret.* Ceu hæc idem Vir eruditissimus fusius in sequentibus deducit, iudiciumque antea silentium in suavissimum facundissimumque discursum resolvit.

§. XIIX. Vestigia hujus legit, iisdemque pressissime insitit B. D. Schertzerus in Syst. Loc. VII. p. 169. seq. superaddens his argumentis argumenta alia, spem illam bene conceptam suffulcientia. Provocat I. ad *infinitam Dei misericordiam* erga genus humanum. Quicumque autem summe est misericors, ille si præsertim facile possit, non sinit in miseria perire eum, qui seipsum inde liberare nequit, & non tam propria quam aliorum culpa in miseriam istam devenit. Natura enim misericordiæ est, ut cor miseria commoveatur, ubi vero cordis est commotio, ibi statim ad auxilium oritur inclinatio, quam non potest non sequi ipsum actuale auxilium, si summa omnium rerum potestas adfuerit, ceu hoc argumentum nervosius deducit D. Meisnerus l. c. cujus verbis Scherzerianum argumentum eloqui plenius visum nobis fuit. Provocat II. ad *meritum Christi universale*. Si autem omnes redemit, omnibusque vitam æternam vere acquisivit, tum si non inanis frustraneaque debet esse redemptio, necessum est, ut bonum quæsitum offeratur & conferatur omnibus non resistentibus, quales sunt infantes. Provocat III. *ad manum Domini non abbreviatam*: quippe quæ plus facere valet, quam nos cogitatione vel iudicio nostro assequi possimus Eph. III, 20, adeoque sic Deo possibile erit, modo extraordinario infantes hos

salute

salute donare. Provocat IV. ad preces pro omnibus hominibus faciendas ab Ecclesia, 1. Tim. II, 1, quæ non erunt frustraneæ, ceteræ quæ in merito Christi fundatæ jam sunt. Provocat V. ad sententiam, quæ Gentilium infantes absolute damnat, duritiam & austeritatem, eo quod non curaverint seipsos baptizari, quod tamen in ipsorum potestate non fuit. Provocat VI. ad canonem Veterum vulgatissimum: *Contemptus non Privatio damnat*. In infantibus autem contemptus nullo modo locum obtinere potest, ergo nec damnatio. Hinc summa potius *Φιλανθρωπία* Jehovah quam exactus rigor judicii condemnatorii sperandus erit. Provocat VII. cum B. Danhauwero ad misericordiam a Patre misericordiarum infantibus Niniviticis præstitam. Denique VIII. occurrit instantiæ a peccato Originali petitiæ, respondendo illud non esse adæquatam damnationis causam, & allegando alia testimonia Virorum Doctissimorum idem hoc probantia. Hæc sunt illa argumenta, B. Scherzero optimam spem de infantibus infidelibus excitantia, quæque ex mente ejus non levia, sed valde ardua & sat ponderosa existunt ad assensum cujuslibet probe exercendum.

§. XIX. Eandem spem bonam jam antea fovit Theologus incomparabilis B. Hunnius, atque eandem similibus argumentis roborat in Quæst. ad Geneseos cap. VII. Tom. III. Oper. p. 1505. citatus a D. Gerhardo Loc. de Baptismo §. 237. cui superaddendus venit alter locus, scilicet in iisdem quæstionibus in Gen. c. XIX. p. 1584. Utrobique asseverat, de salute talium infantum non simpliciter esse desperandum (1) Propter voluntatem Dei, quæ nullius hominis mortem appetit, adeoque nec absolute interitu parvulorum delectatur. (2) Propter Christi mortem universalem & satisfactoriam. (3) Propter culpæ nullitatem: Siquidem quod tales incredulorum Gentilium liberi bodie Sacramentorum participes non evadunt, id parentum culpæ tribuendum videatur, cum ipsi respectu sui per casum necessitatis exclusi a Sacramentorum usu appareant, nec Deus ob impietatem Parentum æterna morte plectat liberos, Ezech. XVIII. Nisi quod ultimo

loco Vir Doctissimus addat: *Quando vero quaeritur, num eos extraordinarie sic salvare certo voluerit; id a nobis certo asseverari non potest, praesertim cum fuerint extra ecclesiae caetum nati.*

§. XX. Εμφατικωτέως spem suam optime conceptam videtur probare D. Job. Adamus Osander in Colleg. Syft. Part. VI. p. 150. admodum subtiliter & acute inferens: *Omnes & singulos embryones, etiam infantes Gentilium decedentes ante baptismum, vel in primis vitae suae exordiis salvos fore in die iudicii, quia Deus neminem velit perire, etiam istiusmodi infantes non vult perire, cum non vult unum perire, vult unumquemque non contumaciter oblitantem huic voluntati salvare; quia voluntas illa divina non saltem est complacentia sive Velleitas quaedam, sed efficax per apparatus sufficientem mediolorum ad totum genus humanum, per quae media efficaciter agit, in hoc ut homines salvi fiant. Cum vero efficax voluntas ordinaria non reperiat media in istis embryonibus, five infantibus infidelibus, necessario extraordinariis iisdem succurrit; Ne, pergit idem, in voluntatis efficacia, mediolorumque apparatu, ad totum genus humanum se extendente, ratione insufficientiae, ejusdem misericordia tam late se porrigens, quam miseria hominum accusari possit. Sic Vir Celeberrimus ex quadam extraordinaria Dei gratia omnibus, non quibusdam duntaxat infantibus τῶν ἕξω (ceu aliorum spes fere concepta erat) salutis spem facit, eamque argumentis firmat, quamquam, ut supra diximus, eos non reprobet, quibus haec argumenta tantum non sufficere persuasum est, ut immotum mereantur assensum.*

§. XXI. Iisdem fere congruentiis & rationibus verosimilibus decertant Viri alias profundissimae eruditionis, deque Ecclesia nostra aeternae meriti, B. Dni D. Baltb. Meisnerus atque Carpzovius, quorum ille ἐπιλογῆν̄ electa in Anthropologia Dec. I. Disp. VII. quaest. 2. th. 18. addit, quamvis nimis in sua spe desperans, dicit enim: *Ex Scriptura scimus, (infidelium infantes) ordinarie non salvari, cum usitatis mediis destituantur: Extraordinarie autem & immediate, an Deus illos velit convertere, nullibi scriptum nec revelatum nobis est, neque vel a priori vel a posteriori demon-*  
strare

*strare possumus. --- Salvari nos possumus, quantumvis illi damnentur: justus manet Deus atque misericors, etsi fidelium infantes salvet, infidelium in Gebennam intrudat. Hic nempe D. Carprovi-  
us Ifagoge in lib. Symb. p. 153. majorem de salute eorum spem concipit; Etsi, inquit is, ordinarie non convertantur & regenerentur, tamen modo sibi cognito & extraordinarie Deum fide salvifica donare posse infidelium liberos, etiamsi id a nobis ignoretur, & non sequi, si ordinarie non regenerentur, illos propterea damnari debere. Atque ad tempora nostræ ætati propinquiora accedentes, jungimus his D. Niemeierum, Prof. Helmstadiensem, ab eadem sententia non admodum alienum; sic enim ille in disp. de statu Gentilium posteriori §. 61. inquit: Nos misericordiæ divinæ illos relinquere, quam damnare malimus, certissime persuasi, nihil Deum in hos & horum similes statuturum, quod misericordia sua sit indignum. Citatque ad eandem sententiam propendentes D. Wagnerum supra a nobis adductum, & D. Hildebrandum ex Theol. Dogm. c. X. §. 27. & c. XIX. §. 71. Deum precibus generalibus Ecclesiæ pro omnium hominum conversione & salute æterna fufis, circa omnes, qui gratiæ divinæ obicem non ponunt, efficaciam habituris, hoc daturum esse, arbitrantem.*

§. XXII. Ab hac bene sperantium Classe eximere non possumus universam Fanaticorum phalangem, sed ideo orthodoxis nequaquam annumerandam. Cum enim *hi* armis pugnent sacratissimarum literarum, h. e. gladio spiritus, quod est verbum Dei, Eph. VI, 17. ejusdem judicio recte evoluto demonstratoque sese promptissime subjiciunt: *Illi* autem a privatis quibuslibet inspirationibus raptibusque toti dependent, earumque ductum sequuntur. Misericordium ante omnes alios titulo digni, quem Origenianis olim attribuit Augustinus, quod & ipsos diabolos salvatum iri docerent. In fronte apparet *Val. Weigelius*, Fanaticorum famosissimus, qui citatus a *D. Niemeiero* l. c. §. 31. inquit: Sie wissen nicht, das GOTT seine Feinde liebe, und tauffe alle Kinder unter alien Heyden, Völckern und Sprachen mit seinem Heil. Geist. Postillæ part. I. p. 140. & part.

H. p. 95. Innixus nempe fundamento omnibus Enthusiasticis spiritibus communissimo. Ducem suum sequitur *Jac. Böhmus*, Theologus in sutrina informatus, in der Morgenröthe p. 425. Ubi in ministros scientia instructos, sed charitate destitutos, invectus inquit: Das saget der Geist: Viel Heyden, die deine Wissenschaft nicht haben, und streiten aber wider den Grimm (wider den Zorn Gottes durch Gehorsam und Liebe, ceu paulo ante semet exposuerat) werden dir das Himmelreich zuvor besitzen. Wer will sie richten, wenn ihr Hertz mit Gott inqualiret? Ob sie DEN (Christum sine dubio intelligit) gleich nicht kennen, und arbeiten doch in seinem Geist in der Gerechtigkeit und Reinigkeit ihres Hertzens in rechter Liebe gegen einander, die bezeugen ja, daß das Gesetz Gottes in ihren Hertzen sey. Si de Gentilium adulatorum salute tam audacter pronunciat, quid de infantibus dicturum fuisse existimabimus? Nec uel hilum ab hoc placito abit Quakerorum hodie longe Doctissimus, *Rob. Barclajus*, qui in Apologiae th. X. p. 173. Ecclesiae denominatione comprehendi ait omnes cujuscunque nationis, generis, linguæ vel familiae sint, qui obsequuntur divino lumini & Dei testimonio in cordibus suis, ita ut per illud sanctificentur & a malo abluantur. *Possunt igitur hujus Ecclesiae catholicae membra esse & inter Gentiles & Turcos & Judæos, & ex omnibus Christianorum sectis homines bonæ integritatis & simplicitatis cordis.* Unde Quakerorum distinctio inter Christum externum, qui Christianis, & internum, qui Gentilibus quoque innotescit, eosque salvat, apud Celebratissimum Theologum *D. Schelwigium*, Præceptorem quondam fidelissimum & ad cineres usque devenerandum, in Quakerismi Confut. Art. IV. p. 355. & 381. seqq. Nec aliter nova Prophetissa *Assenburgica* apud *Petersenium* in specie Facti §. 32. cum quæsitum fuisset: Ob der in der H. Schrift so hochgepriesene barmherzige Gott die Heyden, und auch die, so etwa in einer falschen Religion, es sey unter Juden oder Christen, stehende Personen ohne Unterschied ewig verworffen? nomine Dei respondet:

det: Die unwissenden Völcker verwerffe niemand schlechterdinges; denn wer will die richten, als ich? und mein richten ist gerecht, und darum werden sie nicht gerichtet zum ewigen Verderben, sonst wäre ich nicht gerecht. Quæ verba quia reddita sunt ad quæstionem: An omnes gentiles simpliciter reproberentur & damnentur? an vero scilicet aliqui inter eos, nempe moratiores, salventur? aliter intelligi non posse videbantur, quam ut hoc posterius, quod & verba primore statim intuitu significant, affirmaretur. Videatur Magn. D. Mayerus Prüfung des Geistes p. 63. seq. Utrum & alii e Novatoribus idem opinionis monstrum hodie foveant, iudicium suum aperit idem Præceptor meus, æterna observantia colendus, D. Schelgvigius, Sectirisch. Pietist. art. IX. §. 10. p. 8. seqq. Sed & Calviniani nonnulli huic sententiæ favent, nominatim Zwinglius, Bucerus, Martyr, Calvinus & alii, quorum verò sententias, eorumque rationes, cum ex aliis longe, quam quibus nostri utuntur, principiis progrediantur, & ob absoluti decreti doctrinam inconstantissimæ sint, recensere examinareque superfedemus.

§. XXIII. Ex antiquis quendam huc refert *Vicentinum*, huius sententiæ patronum, Bellarminus lib. VI. de statu Pecc. cap. I. §. Prima sententia; quem vero eopse, quo vixit, tempore refutavit Augustinus lib. I. de Orig. an. c. IX. & lib. III. c. 13. qua de re dato studio agit G. J. Vossius Historiæ Pelag. L. II. Part. III. Th. IV. p. 258. seq.

§. XXIV. Optime sperantibus quam maxime vicinos *Classis quarta*, nobis sistet illos, qui mente iidem, solo probandi modo diversi, atque media quasi sic via incedentes mediam Dei scientiam fundamenti loco hic substernunt, qua mediante infidelium infantes nec omnes damnationi, nec omnes saluti submitunt, sed iis duntaxat *banc* adscribunt, quos DEUS per scientiam mediam fideles & credituros esse: *illam*, quos DEUS per eandem incredulos & reprobos præviderit, si ad altiores pervenissent annos. Amplexus est hanc sententiam, e rigore quasi & lenitate compositam, D. Job. Hülsemannus Brev. Extens.

tenf. c. XVI. §. 10. scribens: *Quosdam embryones & infantes esse prædestinatos, quosdam reprobatos, indubium est ex Apoc. XX, 12. Cumque nonnulla interjecisset, hoc modo pergit: quod per Scientiam, quæ dicitur media, non excussionem mediorum oblato- rum in quibusdam præviderit, i. e. sub hac conditione, si servasset in vita superstites, obtulissetque illis ordinaria salutis media, tum non fuisse excussuros prævenientem illam gratiam, probabile est ex loco Apoc. XX, 12. ubi etiam parvuli tam illi, qui in stagnum ignis missi sunt, quam qui vitam æternam ingressi, judican- tur ex libris secundum opera sua. At opera actu secundo existi- tia non habuerunt parvuli, quæque adeo objectum intuitivæ DEI scientiæ esse nequiverunt: Quare relinquitur, parvulos habere opera existentia in scientia DEI media, & scripta in hunc librum scientiæ mediæ. Hæc Vir acutissimus & solida eruditione excel- lens. Quem in hac assertionem deserit ejus interpret non mi- nus Excellentissimus, D. Scherzerus in Brev. Enucl.*

§. XXV. Atque hæc sententia de scientia DEI media circa eandem materiam *Theologis* quoque *Argentoratensibus* non improbata fuisse videtur, tanquam omnium probabilissi- ma & tutissima. Sic enim illi in censura contra Laterman- num cap. XIII. (citante D. Calovio in Harm. Calixt. p. 936.) scribunt ex communi Theologorum hypothese: *Quis ignorat, plerosque Theologos ex duplici hypothesis de hoc negotio respondere? altera ab immensa DEI misericordia, altera ex infinita DEI sci- entia petita. ---- Igitur si infantes illi adultiores facti media salu- tis accepturi & ad Ecclesiæ societatem sese aggregaturi fuissent, tum utique DEum, quia illud præscivisset, vi misericordiæ suæ im- mensæ non permissurum fuisse, ut in infidelitate sua perirent. Dum autem temporaliter & æternum eos punire sinit, utique eum prævidisse, si maxime ad ulteriorem ætatem pervenissent, nunquam tamen ob- lata salutis media accepturos, sed potius contumaciter neglecturos esse. Quapropter licet in infantia non potuerunt inquirere in ve- rum cultum, quia tamen etiam in adulta ætate non fuissent inqui- situri, sed cumulaturi potius peccata, juste propter originale pecca- tum*



*tum punitos esse. Sic illi. Quibus & D. Quenstedtius accedit in Systemate Part. III. cap. V. de vocatione p. 474. inquit: De infantibus, qui in Gentilismo in infantia sua moriuntur, observandum, cum sciamus, DEum esse immense misericordem & non velle, ut ullus pereat, itemque omniscium, ita ut ab æterno noverit, quinam media salutis accepturi sint & qui non. Si itaque prævidisset DEus, illos infantes adultiores factos media salutis admissuros & in Ecclesiæ gremium se associaturos, utique pro immensa sua misericordia non permisisset in infidelitate eos interire.*

§. XXVI. In fundamento ex media scientia petito hic quoque *D. Dreierus*, quamvis fine longe diverso, nempe ad demonstrandam infidelium infantum damnationem & reprobationem convenit. Postquam probare instituerat, ob solum peccatum originale infidelium infantes non damnari, sed simul ob quandam meriti Christi (saltem in parentibus suis) repulsam, prævidit hanc repulsam tanquam longe minus ipsa originali labe peccatum, multo quoque minus eos damnaturam esse. Quare ad aggravandam hanc repulsam ad scientiam mediam confugit. Sunt ejus verba in der Erörterung p. 364. sequentia: Derohalben ist hie nicht allein die Erbsünde, sondern auch die contumacia actualis der Eltern anzusehen, welche sich auch endlich bey den Kindern, wenn sie erwachsen, finden würde, eben wie sie bey den Eltern ist, welches GOtt zuvor siehet, und nimt sie vor der Zeit hinweg durch eine sonderliche Gnade, das ihnen die Straffe nicht gemehret werde. Idem hoc cum altero additamento statuit *D. Job. Adamus Osiander*, sibimet & sententiæ suæ §. XX. a nobis citatæ contrarius, qui Tom. I. Colleg. Syst. Loc. II. Th. 18. p. 289. postquam *D. Hülsemanni* sententiam de scientia Dei media allegasset, hunc in modum scribit: *Nos ulterius concludimus & proferimus pedem: Novit DEus ex infinitudine scientiæ suæ, infantem in Ecclesia natum, si viveret post partum, intra paucas horas vel dies baptismo admotum iri. Videt itaque infantem Christo inseri, videt fidelem, cum non nisi fidelis sit in Christo. At fi-*  
M
delis

delis & electus Theologis Tubingensibus sunt Synonyma. Si ita prævidet DEus baptismo tingendos, Christo per fidem connexos, prævidet, ut electos. Electi autem salvantur. At de infidelibus Gentilium alia est ratio: Cum enim baptismus istis non conferatur etiam si vixissent, & adultis verbum non prædicetur, prævidet DEus ut Christo non insertos. Et hinc prærogativa infantum fidelium præ infantibus infidelium patescit, non fundata in aliqua sanctitate, quam Calviniani confingunt, sed in prævisione ad bona Ecclesiæ limitata conferenda Ecclesiæ Civibus & collata λογισμῶν vivo infantibus. Plane singularis hæc est & ingeniosa maximi viri opinio, quam non facile alibi legas, quare integram adducere voluimus. Sciendum vero (quod fide Magnif. Dni Præsidis refero) Collegium Systematicum Beati Viri, non ab ipso Auctore, sed ad lucrandum Auctoris aliis lucubrationibus tempus, eo conscio, a quodam disciplinæ ipsius alumno, ex plurimis privatis collegiis, multis ante annis ad calamum dictatis, in Systema collectum atque in publicum Stutgardix Anno M DC LXXXVI. editum esse; Collegium autem Pneumatico-Theologicum, ex quo thesis supra posita excerpta est, jam anno M DC LIX. habitum est. Fieri igitur poterat, ut postea ex tanto temporis intervallo sententiam suam mutaret, & ei parti, quæ mitius de Gentilium infantibus iudicat, accederet.

§. XXVII. *Quinta* jam atque *Ultimæ Classi* accedentes eorum sententias & verba lustrabimus, qui damnationem & reprobationem infidelium infantibus adscribunt. Quanquam nec hi adeo harmonice conspirant, iudicium suum in mitiorem alii, alii in duriorem pœnam resolventes. *Mitiores* in tres iterum partes non immerito secut Bellarminus lib. VI. de statu Pecc. c. I. Quorum *primi* excluderint quidem infantes a visione Dei beatifica, adeoque a salute gloriæ proprie dicta, dederint tamen iis vitam æternam & naturalem beatitudinem, sine ulla molestia aut dolore extra regnum beatorum & procul a carcere damnatorum, hoc est, in loco medio inter ge-  
hen-

hennam & cœlum. Quam opinionem fecisse olim suam Pelagianos Augustinus fidem facit lib. de hæres. c. 88. *Nam, inquit, etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam.* Cuique adhæserint Ambrosius Catharinus, Alb. Pighius & Hieron. Savanarola. *Secundos* eos facit Bellarminus, qui doceant, parvulos sine baptismo decedentes damnari apud inferos æterna morte, sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quæ dicitur pœna damni, ut nullum patiantur omnino dolorem, neque internum, neque externum. Quorsum refert Thomam Aquinatem & nonnullos alios Scholasticos Doctores. *Tertios* denique, superioribus adhuc severiores, liberare quidem parvulos ejusmodi a cruciatu ignis & vermis, quæ proprie dicitur pœna sensus, sed non liberare eos ab interno dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternæ felicitatis: Ita docere Petr. Lombardum aliosque. Quamquam vero primi illi etiam ad Classem tertiam bene sperantium & hi postremi ad quintæ ordinem alterum, pœnam cum damni tum sensus infantibus Gentilium adjudicantium, quodammodo possent referri, nihil tamen impedit, quo minus & huic inserantur ordini utrique, cum primi illi vera & solida salute, in visione Dei beatifica consistenti, haud fruantur, & hi postremis veris perfectisque pœnarum infernalium damnis non subjiciantur, adeoque vel hætenus de pœna tantum damni participant. Equidem dubitandum non est, omnes horum ordinum autores de infantibus vel tantum vel primario iis, qui intra Ecclesiam nati ἀβάπτιστοι moriuntur, disputare, sed argumenta tamen eorum, postea in certis capitibus a Bellarmino producta, arguunt, eos consequenter ab hac sua assertione illos infantes non exclusisse, qui dum in Ecclesia non existunt, in infantia diem obeunt extremum.

§. XXVIII. Ultima hujus sententiæ primum vulgo faciunt Autorem *Augustinum*, qui per condemnationem solam pœnam damni seu privationem iisdem adjudicet, hoc est, ca-

rentiam Visionis beatificæ & separationem a beatifico Christi & totius S. S. Trinitatis aspectu. Sic enim ille lib. V. contra Julian. Pelag. cap. XI. *Si quod Salvator de Sodomis ait, & utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die iudicii punietur: Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quam levissimam damnationem ex Pontificiis Bellarminus, ex nostris D. Pet. Musæus tract. de æterna beatitudine §. 72. intelligi posse ajunt de pœna damni, sive privatione claræ visionis Dei, non tamen exclusa inde emanante tristitia, dolore & molestia animi. Cui opinioni ut Musæus favere videtur, tamen adjicit, nihil se determinare velle. Hanc Patris ita intellecti sententiam lata fronte postea exceperunt Pontificii, receptaculumque quoddam hanc ad rem fabricati sunt, quod *Limbus Puerorum* appellant, ex quo nullis precibus tales infantes, nec suffragiis Ecclesiæ possint juvari, ut habet Bellarminus lib. VI. de amiss. grat. & stat. peccat. c. 2. Verum nondum adeo liquidum est, an Augustinus eam, quam Bellarminus ei adscribit, foverit sententiam; Qua tamen de re nunc disputari non est opus. Videatur Krömayerus Loc. Syncr. p. 137. & universim de antiquorum circa infantum non baptizatorum post mortem statum sententia uberrime apud G. J. Vossium II. Hist. Pel. Part. III. th. IV. p. 251. seq.*

§. XXIX. *Posteriores* qui duriores plerisque audiunt, dum damnationem infantibus ex iustissimo Dei iudicio, tam quoad pœnam damni, quam sensus adscribunt, ipsum S. Scripturæ ductum sine dubio sequuntur, in quorum numerum & censum quam maxime & primo omnium referendi nobis sunt, etiam temporis ratione, *libri* nostrarum Ecclesiarum *Symbolici*, in quibus oculos nostros statim ferit secundus Augustinæ Confess. (anno MDXXX. editæ) articulus, qui de peccato originali confitetur, *quod hic morbus seu vitium originis vere sit peccatum, damnans & offerens NUNC QUOQUE mortem his, qui non renascun-*

*nascentur per Baptismum & Spiritum Sanctum.* At Gentilium infantes non renascentur sive per Baptismum, ut evidens est, sive per Spiritum Sanctum, qui sine precibus, ut ex Luthero & Melanchthone audivimus, & quibus, juxta ipsos, carent Gentiles, non impetratur, Luc. XI, 13. Et, si neque Christianorum neque Gentilium infantes, in infantia demortui, damnantur, peccatum originale neminem damnabit, quia in cæteris omnibus actuale peccatum est, ob quod potius quam ob originale damnantur. Clarius *Apologia August. Confess.* art. IX. pag. 156. adversus Anabaptistas, baptismum infantum rejicientes, profitetur: *Certissimum est, quod promissio salutis pertinet etiam ad parvulos. Neque vero pertinet ad illos, qui sunt extra Ecclesiam Christi, ubi nec verbum nec Sacramenta sunt, quia regnum Christi tantum cum verbo & Sacramentis existit.* Argumentum hoc est: Ad quemcunque pertinet promissio salutis, eaque non generalis tantum, qualis est, qua DEus omnium hominum vult salutem, sed specialis, qualis est, quæ ad Ecclesiam & fidelem populum suum pertinet; ille est baptizandus. Atqui omnis infans. Ergo: Vicissim: ad quemcunque non pertinet promissio illa specialis, ille non est baptizandus. Ad Gentilium infantes non pertinet: Ergo. Ex quo immote fluunt aliæ conclusiones: ad quem non pertinet specialis salutis promissio, is non salvatur. Atqui ad infantes Gentilium. Ergo. Item: Quicumque non est baptizandus, is non salvatur. Gentilium infantes. Ergo. Nempe, si loqueretur Apologia de promissione illa generali, qua DEus vult, ut nemo pereat, sed omnes ad poenitentiam & baptismum convertantur 2. Petr. III, 9. falso diceret, eam non pertinere ad Judæorum & Gentilium infantes, cum ab illa nemo hominum, ne unus quidem, excludatur. Loquitur ergo de Promissione illa specialiori, quæ salutem vel actu confert, vel certe media ad eandem proxime & infallibiliter offert. Quam, quicumque non habent, eos salvari non posse affirmat. Adeo vera certa que hæc sunt, ut

verba Augustanae Confessionis pro neganda in infidelium infantibus salute *satis evidenter* esse dicat Hülsemannus Prolegom. in Form. Concord. p. 370. & pro talibus agnosci ab Hunnio, Gerharo, Brochmanno, Huttero, aliisque profiteatur.

§. XXX. Sequitur nunc Dux & Antesignanus repurgata a fecibus religionis, *D. Lutherus* in Expositione Psalmi XXIX. anno MDXLII. edita, Trost vor die Schwangere Frauen Tom. IIX. Altenb. p. 57. postquam ostenderat, quantum solatium piis parentibus præberet dictum Christi: *Sinite parvulos ad me venire*: si ipsorum liberi per baptismum Christo adducuntur: Wir sagen, daß die Kinder in Sünden empfangen und gebohren sind, und nicht selig werden ohne Christo, dem wir sie zutragen in der Tauffe. Hie haben wir ein Gnaden Urtheil, sicher und gewiß: lasset die Kindlein zu mir kommen. Das wollen wir uns nicht nehmen lassen: das heisset nicht Gottes heimliche Gerichte und finster Wahn, sondern Gottes gnädige Zusage, daß unserer Kinder des Himmelreich eigen ist, so sie Christo werden zugebracht, denn ohne Christo ist keine Seeligkeit. Drum seind die Türckischen und Jüdischen Kinder nicht selig, denn sie werden Christo nicht zugebracht. *Quænam confessio clarior esse poterat? Imo postea cum de infantibus Christianorum ante perceptum Sacramentum e vivis ereptorum agit, unicum eosdem salvandi medium, deficiente Baptismo, orationem esse ait, qua Christo etiam in utero matris adducuntur & commendantur. Quo ipso concludit, infantes Gentilium salvari non posse, quia neque per Baptismum neque per preces DEO offerantur & adducantur.*

§. XXXI. Sequitur hunc magistrum fidelis ipsius Parastata, *Phil. Melanthon* in Locis, Chemnitiano operi insertis, & eodem fere tempore editis, imo adeo a Luthero aestimatis, ut iis primas post Apostolica scripta partes tribueret p. 158. dum frequenter repetit: *Gratiæ promissionem pertinere ad infantes, sed qui inserti sunt Ecclesiæ. Item: Cerrum & hoc est, extra Ecclesiam,*

*fiam, hoc est, apud eos super quos non est invocatum nomen DE I per Baptismum & qui sunt sine Evangelio, non esse remissionem peccatorum & societatem vitæ æternæ, ut apud hostes Christi & blasphemos Judæos, Mahumedistas, & similes. Id clarum est ex dicto: Non est aliud nomen datum, &c. Item: Extra Ecclesiam non est salus: quod probatur dictis. Item: Nulla est electio eorum, qui non inseruntur Ecclesiæ externa vocatione. Item: Non pertinet ad infantes extra Ecclesiam promissio gratiæ. Item: Neque enim affirmari potest, pertinere salutem ad infantes extra Ecclesiam, ut sine ullo testimonio furenter contendunt Anabaptistæ. (Ecce quanta tum cum confidentia infantum extra Ecclesiam salutem rejiciebant!) Item: Oportet teneri hanc byporthesin: infantes, qui sunt intra Ecclesiam, super quos invocatum est nomen Christi, recipi in gratiam; non Turcos, non Judæos. Conf. Melanthonis Oper. part. I. de baptism. infantum fol. 237. seq. Ex quibus facile patet, quomodo verba Apologiæ A. C. intelligenda sint, cum quilibet verborum suorum optimus sit interpres.*

§. XXXII. Progrediamur nunc ad ulteriora tempora. Anno MDXLV. Electori Saxonix consilium dederant Theologi Wittebergenses de componendis controversiis religionis. Subscripserant Martinus Lutherus, Johannes Bugenhagen, Casparus Cruciger, Georgius Major & Philippus Melanthon. Illud Hassiacis etiam Theologis misit Elector, rogavitque ut revisum probe considerarent, & si quid, quod in eo vel notarent vel rejicerent, haberent, id haud gravatim communicarent. Paruerunt illi Electorali desiderio, & in articulo de necessitate Baptismi, cui casum illum extraordinarium, quo infantuli ἀβάπτιστοι hinc decedunt, non inseruerunt Electorales, petierunt, ut hujus rei mentio aliqua injiceretur, ne suspicio oboriatur, ac si Lutherani misellos infantulos, sine sua culpa baptismis destitutos, æternæ damnationi addicerent. Ad hanc observatiunculam respondent Theologi Electorales, ut est apud illustr. Seckendorffium, Lib. III. de Lutheranism. Sect. 31. §. CXX. n. 5. p. 538. *Recte se statuisse, Baptismum esse necessarium, id est,*

id est, secundum naturam & ordinem ministerii, ubi copia baptismi haberi possit & ne is contemnatur. „Hoc sensu dispensationem non „excludi, neque damnari infantes Christianorum, ante baptismum „morientes, ita tamen, ut nomen Christi super illos invocetur & „seriæ preces fiant, (das ernstlich gebetet werde, hæc verba „Lutheri manu inserta erant:) neque baptismus per contemptum negligatur. Hoc enim, ajunt, verum est & teneri debet, quod infantes Judæorum & Turcorum, qui nomen Christi super illos non invocant, sed execrantur, ad hæreditatem Christi & æternam salutem non pertineant, ideo Christus clare dixit, Marc. X, 14. finite parvulos ad me venire, talium enim, (qui scilicet ad Christum afferuntur) est regnum cælorum. Ad hunc sensum lectorem discretum breviter quidem remisimus, verbis scilicet illis cum scripsimus, damnatos esse infantes, qui non adferantur ad Christum: in iis enim casum, in quæstione Hassiaca propositum, comprehendimus, licet ideo non expressum, ne Cæsari aliisque suspicionem injiceremus, ac si de errore Anabaptistico lenius justo sentiremus. Neque opus esse existimamus, banc quæstionem huic formulæ inserere, quæ generalis manu ductio ad concordiam esse debet & per quam non sunt excitandæ proluxæ disputationes. Iterum clarissimum est, Lutherum cum omnibus Collegis suis gentilium infantes æterna salute exclusisse. In qua disputatione & illud memoratu dignum est, quod hi Theologi profiteantur, ideo se de hoc extraordinario casu nihil suo scripto inseruisse: ne Cæsari aliisque suspicionem injicerent, ac si de errore Anabaptistico lenius justo sentirent. Ergo videbatur tum Anabaptistis, Baptismi necessitatem elegantibus docentibusque, infantes nullum habere peccatum originale, ob quod damnari possint, favere & patrocinium præstare, qui diceret, Christianorum infantes, sine baptismo decedentes, quamquam extraordinario modo, salvari. Quid itaque putabimus, dicturos fuisse Pontificios, aliosque, si quis docuisset, ipsosmet infidelium infantes, extra federalem gratiam existentes, quique sine omnibus precibus, ipsorum causa ad Christum fuis, (quas & hodie communiter Theologi ad  
neces-



necessitatem salutis in extraordinario casu requirunt; videatur nunc tantum D. Menzerus, Exeg. art. IX. n. IV. §. 14. & Hülsemannus in Breviar. c. X. §. XVI.) moriuntur, nihilominus salvari?

§. XXXIII. Luthero coævus fuit, ut tamen post eundem maneret ad annum usque Christi MDLXX. superstes, *Jo. Brennius*, Divini ingenii & magnorum meritorum Theologus; is in Catechismo illustrato, p. 21. a sententia Augustinæ Conf. nullo modo recedit, sed cum promissionem illam: *ero DEUS tuus & seminis tui post te*, non ad majores tantum natu in familia Abrahami, sed & infantes eorum pertinere dixisset, subdit: *ita & hoc tempore, quo gentes electæ sunt in populum DEI, promisso æternæ salutis, per Jesum Christum, pertinet non tantum ad seniores gentium, sed etiam ad infantes, qui e Christianis parentibus nascuntur. Nam ipsa carnalis nativitas per se non facit Christianos.* Nec multo post *Jacobus Heerbrandus* in Academia Tubingensi eminuit, denatus ibidem anno MDC qui in Compendio Theologiæ, Loco de Baptismo, p. 558. ad quæstionem: quid de infantum non baptizatorum salute sentis? adductis quibusdam argumentis concludit: *Nos igitur meliora infantibus, etiam sine baptismo casu inopinato & repentino præventis, pollicemur. Nec tamen generaliter omnibus sine baptismo morientibus, sed Christianorum infantibus in Ecclesia salutem promittimus.*

§. XXXIV. *Ægidii Humii*, qui anno MDCIII. excessit e vivis, sententiam mitiorem supra memoravimus. Nunc reticendum non est, (quod plurimis Theologis evenisse jam supra monuimus & exempla se nobis posthac quoque offerent) illius opinionis difficultate adactum, severiorem sententiam disertis verbis fuisse professum, Qq. de Bapt. p. 1040. Ubi interrogat: *Sed penes istos infidelium infantes non stat, quod sunt ex non baptizatis orti parentibus. Cur ergo hac in parte luunt penam alienæ incredulitatis?* & respondet: *Incredulitas parentum non baptizatorum liberis non officeret, si non ipsi etiam liberi essent increduli.*

*duli. Iraque pereunt (ecce! pereunt) non jam ob mere alienam infidelitatem, sed propriam. Quare non dubitat summus Theologus, Jo. Hülsemannus in Scriptis Posth. p. 370. Hunnium iis annumerare, qui statuant, damnari gentilium infantes. Ubi & alium nobis suggerit ex Hunnio locum, in quo idem asseritur, qui tamen non legitur p. 280. ut vitiose in Prælectionibus Hülsemannianis expressum est, sed p. 820. Ubi hæc verba legas: In Ethnicismo quot infantum millia obierunt & ( quantum colligitur ex censura Christi, Joh. III, 18. cum qua consentit & Apologia Augustanæ Confessionis articulo nono ) etiam perierunt, antequam ad annos discretionis pervenirent. Ecce magnus hic Theologus, qui alibi bonam de his infantibus spem conceperat, hic non desperat tantum, sed perire eosdem rotunde asserit, nec ex sua id asserit sententia, sed Christi, (heu quantum hoc est veritatis pondus) & Apologiæ Augustanæ Confessionis, quam Lutherani omnes, ut verbo Divino usquequaque conformem, pro Symbolico & indubitata veritatis libro jam diu receperunt. Quinimo idem Hunnius, loco prius allegato ad quaestionem: an infidelium liberi, vi parentibus crepti, possint baptizari? id, quod & alii Theologi faciunt, respondet: non debere fieri invitis parentibus, nec si spes non sit, in potestate nostra mansuros, sed expectandum, donec vel parentes convertantur, vel catechumeni prius fieri possint. Provocat ad praxin Universalis Ecclesiæ omnium ætatum & seculorum. Annon vero merito quis quaerat: cur infantes gentilium, cita morte perempti, digni a DEO æstimentur, ut extraordinaria misericordia iisdem fidem infundat, eoque modo salvet: non vero sint digni, si in potestatem nostram perveniant, ut per baptismum ipsis fides, nisi ex consensu parentum ipsorum implantetur? Cum prius illud speremus ob innocuam & repugnantiam omnis expertem ætatem, cur ob eandem rationem hoc posterius non faciamus? Annon potius hunc in modum colligas: quia omnis ætatis praxis fuit, ne gentilium infantes, quomocunque in potestatem nostram venientes, ante receptam a*

parentibus fidem & ante catechisationem baptizarentur: ergo regnum DEI & cœlestem hæreditatem ad eos non pertinere arbitrati sunt, ut ad Ecclesiæ filios, nisi prius vel per parentum fidem Ecclesiæ Cives redderentur, vel in fide informarentur ipsi.

§. XXXV. Defendit etiam hanc sententiam anno MDCV. demortuus, magno cum pondere & verborum severitate *D. Sal. Gesnerus* in der Christlichen treuhertzigen Warnung an die löbliche Stände in Schlesien, inserta autem Theol. Witteberg. Appendici des gründlichen Beweises p. 276. ubi castigat Zvvinglium, quod dixerit: der Heyden Kinder aus dem evvigen Leben ausschliessen vvollen, das ist gottloss, und vvir irren sehr, das vvir über der Heyden Kinder das Urtheil fällen; & vocat hanc opinionem *eine ungebeure Opinion*, die hernach Henr. Bullinger sehr gefallen und Zvvinglii Schvvanen-Gefang geheissen. Auch hat Rudolph. Gvaltherus, pergit idem, im Jahr 1543. eben diese *gottlose Opinion* von der Seeligkeit der Ungläubigen Heyden zu vertheidigen sich unterstanden. Welche Lehre aber nach diesem Leben die Menschen dahin verweist, da die abgöttische ungläubige Heyden sind, die führet dieselbe fürwahr nicht ins ewige Leben, sondern in Abgrund der Höllen. Sintemahl die Heyden, die an Christo nicht gegläubet, freylich nicht in himmlischer Glorie und Herrligkeit, sondern in höllischer Qvall und Marter anzutreffen, nach dem Spruch Christi Marc. XVI. Joh. III.

§. XXXVI. Lutheri sententiam & Bugenhagii, supra commemoratam, comprobat suo calculo *Felix Bidenbachius*, anno MDCXII. mortalitati exemptus, consiliorum editorum opere clarus, Dec. IV. Conf. III. p. 470. nec non *Leonhardus Hutterus* denatus Wittebergæ, quam immortalibus scriptis illustravit, anno MDCXVI. Is enim Exeg. in Form. Concord. art. XI. de Prædest. p. 1074. *Si infantes, inquit, Gentilium adultiores facti media salutis accepturi & ad societatem Ec-*

clesiae se aggregaturi fuissent, tum utique DEUS illud præscivisset, Si præscivisset, utique vi misericordiae suae non in infidelitate ipsos interire permisisset, sed & vitam ipsis prorogasset & ejusmodi media monstrasset, quorum adminiculo ad Ecclesiam aggregari, ad agnitionem veritatis pervenire & tandem æternum salvari potuissent. Neque enim misericors DEI voluntas eos tantum complectitur, qui intra Ecclesiae pomeria nascuntur, sed & eos, qui foris sunt juxta illud Petri Act. II, 39. Jam vero quia DEUS sic illos & temporaliter & æternum perire permisit, utique prævidit & præscivit ipsos, si vel maxime ad adultiorem ætatem pervenissent, tamen nunquam media salutis, quantumvis monstrata & oblata accepturos. Sic ergo justitia DEI etiam hoc casu minime periclitatur, sed æquabiliter se habet: quippe propriam infantium illorum incredulitatem & contumaciam ab æterno prævisam atque præscitam justissimo judicio puniens. Infantes Gentilium omnes facit incredulos & contumaces, eosque æternum perire asserit, loquens hac de re, ut de thesi in Ecclesia nostra certa. De hoc tantum disquirat, cur DEUS eos verbo suo & Sacramentis non vocet, cum tamen verum DEI cultum, quod facere per naturam poterant adulti, inquirere haud possint atque ad scientiam mediam confugit, alio tamen quam D. Hülsemannus sensu, sicut supra jam circa alios monuimus.

§. XXXVII. D. Matth. Hoffenrefferus, Theologus Svevus, eruditionis fama inclytus, qui e vivis excessit anno MDCXIX. in Loc. Theol. Lib. III. Stat. III. Loc. VII. p. 502. *Quærit: Quid sentis de illis parvulis, qui extra ecclesiam ex infidelibus nati sunt? & respondet: Illi non citius baptizari possunt, quam vel parentes ipsorum ad fidem Christianam conversi, vel ipsi catechumeni facti, in verbo fidei instituti, vel legitima ratione in Christianorum tutelam & patriam quasi potestatem translati & adoptati fuerint. Ut alterutrum ipsis quadrare possit; vel illud Salvatoris: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: vel illud Petri: Vobis & filiis facta est promissio. Ex quo sequitur, nisi delati in Christianorum pote-*

potestatem fuerint, neque fidem, neque baptismum, neque salutem, neque promissionem ad eos pertinere.

§. XXXVIII. Eminuit in hac quondam Academia excellentis ingenii acumine Jo. Affelmannus, adeo, ut raro exemplo anno jam atatis vigesimo primo in ipsa adolescentia Theologiæ professioni admoveretur, quam ad annum usque MDCXXIV. ipsi emortualem tanta cum nominis fama sustinuit, ut scripta ipsius post mortem studiose collecta sub uno Syntagmatis nomine edita fuerint, aucta iterata editione a Reverendo Theologo Georgio Mœbio. Is part. I. Disp. XXIX. Epif. XV. p. 865. quærit: *Quid de infantibus non baptizatis quoad banc de fide parvulorum quæstionem erit statuendum?* & respondet: *Infantes ii aut sunt infidelium, nati extra Ecclesiam, de quibus usurpamus illud Apostoli 1. Cor. V, 12. quamquam si Scripturæ ordinem consulimus, manifestum est, fidem esse donum Ecclesiæ (non pater in cælis, cui non Ecclesia mater) ac proinde in iis, qui omnino sunt extra Ecclesiam, esse non posse.* In appendicis vero p. 308. ubi eandem quæstionem pertractat, postquam sibi ipsi objecerat, non posse infantes Gentilium damnari, quia in iis non sit contemptus verbi & Sacramenti, sed tantum nuda privatio; hunc in modum respondet: *Infantes illi damnantur propter incredulitatem & contemptum & non propter contemptum solum. Distinguendum tamen inter contemptum actualem & Potentialem. Damnantur etiam illi ob contemptum verbi divini, quamvis non ob actualem, tamen ob potentialem, haud secus ac si quis catulos lupi interficiat, interfecit illos non ob rabiem actualem sed potentialem. Sic etiam DEUS illis hominibus subtrahit verbum suum, quod si haberent, illud plenis buccis essent contempturi. Et sic non tantum propter privationem, sed etiam propter contemptum & incredulitatem damnantur illi, qui carent verbo DEI. Plane eodem simili utitur B. Hunnius Quæstionibus in Gen. c. XIX. p. 1584. Oper. Tom. III. circa similem materiam scribens: *Infantes in diluvio perdit non erant innocentes, quia peccato Originali horribiliter deformati. Deinde, quia credibile est, illos nibilo meliores futuros,**

*itaque & ipsi deleti sunt, perinde, ut & catuli luporum deprehensi, solent una cum grandioribus lupis interfici, siquidem ubi adolescent, æque grassantur in homines & pecudes, in gallos, gallinas & auferes rusticorum.*

§. XXXIX. Eodem tempore in hac Academia vixit par Theologorum, de Theologicis studiis, præclarissime meritum, *Paulus & Johannes Tarnovii Fratres*, quorum hic anno MDCXXIX, ille vero anno MDCXXXIII. vivendi finem fecit. Itaque *Johannes*, quamquam dubitantium parti videatur sese adjunxisse, qua de causa & eundem jam supra recensuimus, tamen damnationem infantum infidelium tanquam sacris literis indubie congruentem tandem prætulit: *Scimus autem, inquit, quod, qui non credit, condemnetur. Marc. XVI, 16.* *Paulus* vero, Commentatorum solidissimus, Commentario in cap. III. Johannis quæst. V. p. 265. seqq. ad quæstionem: An liberi, extra Ecclesiam nati, damnentur? sic respondet: Disputatur hæc quæstio a nonnullis in utramque partem & tandem in suspenso relinquitur, propter rationes, quas vir beatus ibidem adducit. *Ast, pergit idem, si argumenta utriusque partis examinentur, deprehendentur negantium examinata ad normam Scripturæ & huic consentanea scripta Symbolica nostrarum Ecclesiarum longe firmiora.* Addit dein *Gesnerum* in Form. Concordiæ idem statuentem cap. ult. th. 52. Nec *Gesnerum* tantum addit, sed ex eodem simul annotat: *Consensum hic esse communem Theologorum, qui eos judicio Dei dum relinquunt, statuunt, eos salvari non posse, nisi dicamus aliud esse Dei judicium, quam quod est in Scripturis revelatum.* Hæc ex *Gesnero*. De suo vero addit *Tarnovius*: absurda, ut vocat, consequentia ex mitiori sententia promanantia: I. Esse salutem extra Ecclesiam II. Electionem esse vocatione latiore. Sic enim infantes electi statuentur, si salvandi esse dicuntur, etiamsi non sunt vocati. III. Aut sine fide quenquam salvari, aut sine mediis nos regenerari & salvari. IV. Regenerationis & salvationis modum esse duplicem, extraordinarium & ordinarium. Hæc *Tarnovius*, qui quia a  
qui-

quibusdam expresso nomine refutatus est, nos optimi Doctoris defensionem suo loco non deerimus.

§. XL. *Gerhardum* subjungimus, qui fati concessit immortalitate dignissimus anno MDCXXXVII. Hunc *Doctor Hülfemannus* loco sapius allegato scribit fateri: salutis æternæ communionem Gentilium infantibus transcribi non posse, utut alibi attulerit, quandam universalis vocationis speciem, quæ ad illos etiam sese extendat. Sed in Loco de Baptismo nihil invenio, nisi quod §. 237. scribat: Cum de Gentilium infantibus nulla exstet promissio, ideo judicio Dei eos committimus. Ex quo quidem recte infertur, eos damnari, cum judicium Dei ejus misericordiæ contradistingatur; Ast utrum *Gerhardus* hanc consequentiam agnoverit, certo pronunciare non possum.

§. XLI. Eodem tempore Lipsiæ docuit accuratissimus Theologus, *D. Henr. Höpffnerus*, in meliorem translatus vitam anno MDCXLII. Is in Locis Theologicis Loc. XXIX. de vocatione hominum ad salutem §. VI. p. 425. seqq. disquirat: Cur Evangelium plurimis hodie populis non prædicetur? Respondetque, fieri id propter contemptum verbi vel proprium vel majorum scelera in posteris. Tum vero adductis ejus rei rationibus concludit: *Sunt autem illi, qui verbum Dei negligentia majorum amissum plane non habent, vel adulti, vel infantes, qui OMNES juste damnantur. Adulti quidem propter peccata actualia sub incredulitate manentes, & imprimis, quod parentum vitio secutam verbi privationem sua socordia ratam habeant, neque stimulis conscientiæ, aut hujus universi intuitu incitati, quærant Deum. Infantes autem in Gentilitate nati juste damnantur propter peccatum originale, quod in ipsis non expiatur, cum careant baptismo & Christianis parentibus, qui in casu necessitatis precibus suis apud Deum infantes suos, ordinario hoc medio, videlicet baptismo privatos per mortem præposteram, commendent.*

§. XLII. Interponemus duorum testimonia, qui quamquam in plurimis ab aliis Theologis discedant, eos tamen  
aut

aut eorundem hic rationes audiri irriti laboris haud erit. Ii sunt *D. Georg. Calixtus* anno MDCLVI. rebus humanis exemptus, & *D. Christ. Dreierus*, qui anno MDCLXXXIX. vivere desiit. Ille in disputationibus Theologicis sub initium professionis suæ habitis, disp. X. §. XXXII. postquam dixisset, Christum ideò ex utero virginis nasci voluisse, ut, qui in utero matrum suarum antequam baptizentur, extinguuntur, non pereant, sed spem salutis habeant; sanctificasse itaque in suis uterum; adjicit: *Dico autem, SUIS, contra Francisc. Puccium* (erat hic superioris seculi Naturalista juxta alios errores & hoc asseverans: *neque simplicem ignorationem & incredulitatem Evangelii, neque defectum baptismi, ubi non sit scelus iniquum ad salutem obesse: ceu ex ejusdem Itali edito de efficacitate Christi Servatoris libro recenset, qui & eundem refutavit D. Luc. Osiander, Epit. histor. Eccles. Cent. XVI. lib. IV. c. 46. p. 1098.*) *Nam, quia non privatio, sed contemptus damnat, ubi est contemptus baptismi, ibi presentissimum periculum damnationis. Deus enim media sua non vult contemni. Et qui non habet in terris Ecclesiam matrem, neque habet in caelis Deum Patrem. Porro Judæorum, Turcarum & similium infantes hoc privilegio frui non possunt, quum nec ullo suspirio a suis parentibus Christo commendentur, nec parentum animus sit, eos Christo offerre, sed magis infensissimo adversus Christum & veram Ecclesiam odio ab ipsis incunabulis innutrire & adsuefacere.* Sed huic doctrinæ, quam in his ipsis disputationibus cum genuinis Theologis defenderat, postea nuncium misisse *D. Calixtum* jam supra suo loco monuimus. Jam *D. Dreierus* in der Erörtherung p. 365. supponit, hanc opinionem, de salute infantibus infidelibus abnegata, esse unferer Theologorum gemeine Lehre, quod & Tarnovium nostrum cum *D. Gesnero* dixisse jam supra notavimus. Et rem revera ita sese habere, ex tota hac deductione constare potest, secus quam existimant Theologi Argentoratenses in judicio Regiom. dato, ap. *D. Calovium Harm.* p. 936. statim initio. *Damnari autem Gentilium infantes ex eo contendit Dreyer*



rus, quod licet ut Christianorum infantibus, ita & ipsorum Christus salutem velit, tamen hi in Parentibus suis eandem rejiciant: Weil die Kinder noch nicht, inquit ille, hören noch urtheilen können, hören, reden, urtheilen und handeln die Eltern für ihnen, darum auch was die versäumen, das versäumen sie nicht ihnen allein, sondern auch den Kindern mit. Probat, quia verbum & Sacramenta Gentiles non pro se tantum primitus, sed & pro liberis suis acceperant: Ergo etiam amiserunt & repulerunt pro liberis, quod eleganti dicto auctoris libri de Vocatione Gentium confirmat. Et quia durius ipsi videtur, ob rejectionem gratiæ, quam commiserunt Parentes, etiam infantes censerent rejecisse eam gratiam, addit scientiam mediam, mediante qua Deus præviderit infantes etiam hanc rejecturos fuisse, si supervixissent: Sicut hujus Viri mentem postremam jam deduximus §. XXVI. Qua tamen tota de re videndus D. Calovius in Harmon. p. 927. seqq.

§. XLIII. *Johannem Hülsemannum*, qui inter cœlites relatus est anno MDCLXI. supra inter dubitantes retulimus. Idem tamen in posthumis, loco sæpius adducto p. 38. *Falsum est*, inquit, *ob solum peccatum originis neminem ad penam sensus condemnari: quanquam enim de Christianorum infantibus non baptizatis aliud judicamus; de Gentilium tamen infantibus manet vera sententia Christi Job. III. ult. Ira Dei manet super ipsos.* Clarissima est oppositio, nec ulli dubio locum relinquit. Et ibidem p. 369. addit: *Non dissimulant Orthodoxi scriptores quantum ex Sacris Literis constet, nullam fore partem infantibus Gentilium in hereditate beatorum, in quem sensum verba Aug. Conf. satis evidenter sunt.* Affert quoque testimonia alia Hunnii, Gerhardi, Hutteri, Meisneri, Brochmanni & Gissensium, quæ ex parte & nos tetigimus. Videntur hæc quasi corrigere sententiam in Classe antecedente recensitam de scientia media, aut cum ea ita sunt concilianda, quod per scientiam mediam (quod & Dreierus sensit) Deus nullos videat infantes Gentilium credituros; quanquam tutius prius dicatur, cum juxta

proverbium posteriores cogitationes sint meliores, &, teste Doctissimo Grotio in Epist. 3. ad Gallos *priores factus provectionis damnet ætatis iudicium.* Huic sociamus Mich. Waltberum, Theologum Gravissimum, qui anno MDCLXII. beatis annumeratus est; is in iudicio de Controversia Latermanniana, citante D. Calovio in Harmonia p. 937. cum recensuisset Pelagianorum errorem, docentium: infantes non baptizatos non esse in damnatione, quia nullum habeant peccatum, causam damnationis, eidem errori involvit D. Dreieri sententiam, statuentis, peccatum originale hodie non esse adæquatam damnationis causam, cui opponit Scripturam: *Caro & sanguis regnum DEI possidere non possunt. Cui regnum DEI denegatur, illi damnatio adjudicatur; Atqui Peccato Originis & ei qui illo coinquinatus & nondum purgatus est, regnum DEI denegatur: Ergo.* Addimus statim ex eadem Lipsiensium Academia & alium magni nominis Theologum, Hieron. Kromayerum, anno MDCLXX. defunctum, qui in Locis Syncret. p. 257. scribit: *Si de infidelium & Paganorum infantibus aliquid dicendum, mirissima ipsorum pœna non in damno tantum aut privatione, sed inferiore sensus gradu consistet.*

§. XLIV. Procedit ex hac præsentia Academia iterum Theologorum non meritis minus, quam eruditionis celebritate inclytorum biga. Sunt illi Henricus Müllerus, anno MDC LXXV. & Augustus Varenius, anno MDCLXXXIV. his terris erepti: Ille quidem in Select. Quæstionibus Theol. Semicent. II. quæst. IX. scribens: *Infantibus infidelium tanquam extraneis - - - non audemus salutem promittere manentibus extra fœdus Christi.* In eundem sensum & hunc intelligo in A. C. Art. IX. §. 26. p. 75. sic commentantem: *Apud infideles plane non est regnum Christi, nec adeo verbum & Sacramentum & propterea nec promissio salutis.* Nec alienus ab his est, qui & ipse hic primum docuit, postea Lüneburgicarum Ecclesiarum Antistes, D. Joach. Lütkeemannus, anno MDCLV. fatis functus im Vorschmack part. II. p. 464. Ich will nicht streiten, inquit ille,

von

von dem Zustande der ungläubigen Kindern, wenn sie in ihrer Kindheit sterben, in welchem Fall wir doch auch wenig Trost für sie in der Heil. Schrift finden. *Quorum agmen claudit Magnif. Dominus PRÆSES, quem diu nobis, studiisque hujus Universitatis superesse optamus. Qui ut eorum sententiam, qui infantes Gentilium salvatum iri sperant, in Thes. Biblicis, §. XXIX. haud obscure ante biennium, ad exemplum Antecessorum hujus Academiæ, rejecit, nec eandem dissimulavit in Thes. Moralib. §. X. ita ejus in thesibus Polemicis §. XXXI. hæc fuere verba: Quamquam primore intuitu durior, tuzior tamen veriorque sententia est, infantes Gentilium spem salutis nullam habere, ad quam tuendam ipsa Librorum nostrorum Symbolicorum autoritate adstringimur.*

§. XLV. Celeberrimus Academiæ Kiloniensis Theologus *Dn. D. Christoph. Frankius* in *Anti-Limburchio Exercit. VII. c. IV. §. I. & II. p. 326. seqq.* Limburchio asserenti, DEum non quidem ex divina promissione, tamen ex superabundante & extraordinaria gratia, cum respectu quidem ad Christum, tamen absque fide in Christum homines salvare posse, respondet: *Cum justificatio & solus in Scriptura perpetuo ad fidem in Christum adstricta & alligata sit, nec de extraordinaria gratia vel exemplum vel verbum ullum ibi reperiatur, summe temerarium haberi debet, ejusmodi gratiam extraordinariam fingere, & laxare velle, quod Scriptura adstrinxit.*

§. XLVI. Possẽm annectere his suffragiis totius antiquitatis consensum, quæ Pelagianismi vitandi studio, non gentilium tantum, sed Christianorum quoque infantes, qui sine baptismo hinc decedunt, æternæ involverunt damnationi. Quos & sequitur tota Pontificiorum schola; & quamquam inclementius judicasse Patres de Christianorum liberis non immerito a primo reformationis tempore, ad hunc usque diem docuerint nostri, grandem tamen inter liberos Christianorum & Gentilium differentiam, utut de cætero in diversas scinderentur opiniones, perpetuo agnoverunt; saltem in eo, quod

certa essent salutis respectu infantium Christianorum argumenta, non item respectu Gentilium. *Christianus Nisanius in Disp. Inaug. Tom. IX. Giess. Disp. X. §. 2. p. 588. Non quidem decretoria aliqua rejectione Gentilium infantes a fidei dono excludimus, nondum tamen ex æquo in uno eodemque statu cum illis, qui intra castra Israelis a Christianis parentibus nascuntur, constituimus. Cum foris sint, alieni a Republ. Israelis, & hospites testamentorum, nec Dei verbum habeant, ejusque beneficia, quæ Deus justissimus ob contemptum majorum de jure ipsis iterum subtrahit.*

§. XLVII. Horum illustrium, imprimis illustri hujus Academiae luminum, maximopere tamen veritatis, autoritate suffultus, ego tanquam misellus & indoctus graculus, quem si inter Musas audire fas est, hanc sententiam defendendam in me suscipio, utpote dum me & Pietas & Veritas ad hoc onusexequendum vocat, adigit atque impellit. Pietas exigit, ut membrum ego tenuissimum inclytæ hujus Academiae existens, hac occasione capita ejus maxima venerer, in vita & post fata florentia, & per venerationem hanc justissimam simul cœlesti veritati suppetias qualesquales feram, quæ jam ex intervallo licet, a Zwinglio & Anabaptistis impetum sensit fumosum, & eo ipso ansam mihi præbuit, quæstionem hanc in scriptis Theologorum parum excussam; ab adversariorum vero impudentia maxime extortam, paulo plenius pertractandi, ne incautos nos laqueo, quamvis ex arena compacto, illaqueent, ruboremque, cum ipsi erubescere nequeant, ea occasione incutiant. Erit autem operæ suum pretium, ut antequam fundamenta sententiæ nostræ, quæ quintæ Classi, ceu ex proœmio & titulo nostro jam constabit, calculum addit, inconcussa ponamus, prius impedimenta Virorum Doctissimorum removeamus, sub censuram nimirum modestiorem eorundem objectiones revocando, & sic ultimam, quod dicunt, limam adjiciendo.

SECTIO III

Siftens

*Examen propositarum sententiarum.*

§. XLVIII.

**C**um itaque haud exigui momenti necessitatisque res sit, accuratum examen circa diversas diversorum Virorum Doctissimorum opiniones, easque sibi in Quæstione hac excutienda non usque quaque constantes, instituire, in quibus probe discutiendis & refellendis cardo totius nostræ dissertationis verti videtur, merito nos munera officii nostri implevisse putamus, si eo ordine illas sub incudem vocaverimus, quo easdem in superiori Sectione recensueramus, non tamen eo animo, eaque mente, ac si hac opera discedentibus a nobis dicam statim erroris alicujus grandioris scribendam esse velimus, verum potius, ut eorum nomina submitte venerantes, veritatem unice indagemus. Quia ipsa ideo in re nihil dicemus, quin aliorum pariter gravissimorum Theologorum & verbis loquamur & autoritate communiemus. Displicet enim nobis mos iste, quo in argumentis, inter Theologos nostros æquo vel numero vel pondere controversis, ita unam eligimus defendimusque partem, ut reliquas graviore censura notemus, imo eosdem parum moderate insectemur & heterodoxiæ reddamus suspectos. Interea veritati, quam argumentis convicti agnoscimus, libere innocueque adhærere licebit.

§. XLIX. Nos opinionem illorum primo statim loco, qui ἐποχὴν φυλάττει, iustrabimus, atque rationes, ad hanc illos impellentes, curatius expendemus. In fronte vero statim se locus ingerit oculis nostris, quo hæc tota sententia tanquam fulcro inniti videtur, nimirum locus I. Cor. V. 12. In quo juxta mentem eorum D. Apostolus omne judicium de τοῖς ἕξω ferendum prohibet. Ei aliud superadditur dictum ejusdem Apostoli ex epistola ad Romanos Cap. XI. 33. ubi exclamat: *Judicia Dei esse incomprehensibilia, atque vias ejus esse impervestigabiles.* Agit autem in priore loco Paulus de censura Ecclesi-

astica, adversus notorios in Ecclesia peccatores exercenda, adeo manifeste, ut nec ii refugiant confiteri, qui ad finem longe alium eodem utuntur. *D. Frid. Balduinus* in Comment. in h. l. p. 348. ostendit Apostolum agere de munere suo Apostolico, quo sollicitus erat de iis, qui per verbum a se prædicatum facti sunt membra Ecclesiæ, quorum & vitam regere quos exorbitantes punire, eorumque in universum curam singularem habere deberet, ne exciderent gratia, ad quam vocati erant. Cæteros, qui fidei suæ commissi nondum erant, cura sua negligere se posse. Post quæ concludit: *Verba Pauli in præsentis textu non sunt extendenda ultra subjectam materiam. Loquitur Apostolus non de quolibet judicio, sed de judicio excommunicationis, quod non nisi eos attingit, qui sunt in Ecclesia. Cæteri, qui foris sunt, excommunicari non possunt, quia in communione nunquam fuerunt, sed relinquuntur merito justo judicio Dei. Non poterat feliciter refellere eos, qui per hoc dictum negant, judicium ferri posse vel de damnatione vel de salute infantum foris existentium. Cum Balduino, qui hanc suam interpretationem repetit in Cas. Consc. lib. IV. cap. IIX. cas. IIX. iisdem tantum non verbis utuntur Hunnius, Waltherus, Tarnovius, Hutterus, Hülfemannus. Consentiantque plane antiqui: Ambrosius, Chrysoctomus, Theodoretus, Theophylactus quorum hic qui foris sunt, inquit, extra meas isti leges sunt; supervacaneum igitur fuerit, legem sancire iis, qui extra Christi regiam & aulam agunt.*

§. L. *Si dixeris*: sententiam generalem esse: Tum respondetur negando: quia alibi judicium de exterorum damnatione propter incredulitatem adprobatur, Joh. III. 18. Nec tam generalitas verborum, quam textus & intentionis divinæ respicienda est. *Si regefferis*: tam generaliter verba accipienda esse, quam permittat reliqua Scriptura; hanc autem judicium de adultis Gentilibus permittere, non permittere de infantibus: Tum repetitur responsio; Nempe intentionem Spiritus S. migrandam non esse, quæ unice in iis verbis hæc est, curam specia-

specialem Ecclesiæ ministri in officio suo Pastoralis ad gregem suum adstrictam esse, neque extra illum extendi debere. Intentio Spiritus Sancti non fuerat, quicquam in his verbis de iudicio discretivo, ad reliquam Scripturam regulato, determinare, sive illud adultos attineret, sive infantes. Quod si hodie quis alicujus Ecclesiæ pastor in Parochia, fidei suæ concredita, haberet & quosdam Cives, Pontificiæ Religioni addictos, quorum animæ cura ad ipsum nihil pertineret, foret autem inter suos exemplo Corinthiæ Ecclesiæ aliquis scortator, cui imponere juxta Ecclesiasticam disciplinam publicam pœnitentiam vellet, is vero hanc declinaturus ad Civis Pontificii exemplum provocaret; qui ejusdem delicti reus esset; annon Ecclesiæ pastor recte his generalioribus verbis responderet: Quid ad me, qui extra meam curam sunt? Hos ego non iudico, hos disciplinæ Ecclesiasticæ non subijcio, DEus eos iudicabit meritamque iis irrogabit pœnam. Et tamen per hæc verba, quantumlibet generalia, sua intentione non excluderet ullam aliam circa hominem illum Pontificium curam, sive in conversatione civili, sive in humanitatis officiis, sive in Christiano amore consistentem. Verba nempe ex intentione loquentis, quam locutionis circumstantiæ recte consideratæ probant, unice sunt æstimanda. Atque hæc quoque responsa sint Celeberrimo D. Scherzero in Breviar. Enucl. c. XV. th. XVI. p. 1038. ex his ipsis rationibus contra D. Tarnovium nostrum disputanti: *urget enim; si medius terminus (quia foris sunt) valet in negotio conversationis, valebit etiam in negotio salutis. Ratio enim est generalis & ubique concludit.* Sed annon clarissimum est, hanc generalem rationem: Quia foris sunt, etiam adultos Gentiles complecti, & tamen de his, utrum salvandi sint, rectissime nos iudicare posse? Confer simile, antea a nobis allatum, & statim patefcet rationis generalitatem in his ejusmodi locutionibus nihil minus quam hæc talia inferre.

§. LI. Recte hæc in prima Classe opponuntur iis, qui dictum

ctum Apostoli cum in literali suo sensu, adeoque juxta loquentis Pauli intentionem, judicium prohibere putant circa vel salutem vel damnationem infantum infidelium ferendum. Si quis autem persuasus, in reliqua Scriptura non reperiri solida fundamenta, quibus hi infantes vel damnentur, vel saluti adjudicentur, adeoque frustra de iis disputari, cum nec disputatio ista usum ullum habere ipsi videatur, dictum Apostoli, extra sensum divinum, verba tantum ad suam mentem inflectendo, ut & alias frequenter fieri solet, allegare velit, eum equidem ex dicto Apostoli non coarguemus, sed fundamentum suum negabimus, nempe, non reperiri solidas in Scriptura rationes, quibus de infantum istorum vel salute vel exitio judicare queamus, ceu ex infra dicendis elucescet. Videantur, quæ supra observavimus. §. VIII.

§. LII. Quod posteriorem locum Pauli attinet, dicitur ibi, *judicia Dei & vias ejusdem in vocanda uno populo & dimittendo altero esse impervestigabiles; non de salute tam extra quam intra Ecclesiam speranda*, inquit B. Tannovius Comment. in Joh. p. 266. nobisque hoc ipso in respondendo otia facit. Sed restat adhuc circa eandem primam classem unicum dubium dissolvendum, quo isthæc ἐποχή juvari maxime videtur: Nostram scilicet quæstionem *nimis curiosam, non necessariam, imo plane inutilem esse, cum nihil ad praxin faciat*. Ad quod vero omnino responderi potest, quod is curiosus atque inutilis investigator dicendus non sit, qui rem aliquam ex fundamentis Scripturæ S. decidit, nec nimis alte & subtiliter ille rimatur, aut judicandi partes involat, qui ex ore divino judicium depromit & illud Spiritus S. judicium summa cum reverentia amplectitur, fovet & osculatur. Dein dabimus utique, hujus quæstionis, necessitatem *non absolutam & per se inevitabilem esse*: Possemus eandem utique citra damnum salutis nostræ ignorare, dummodo de nostra salute solliciti simus; At necessariam eam faciunt adversarii varii, quia eandem iis argumentis propugnant & ventilant, quæ veritatem, nisi recto examine



amine librentur, in aliis etiam fidei articulis labefactare possunt. Hæc est *παραγυλα* Hæreticorum, quæ semper in turbido piscari conatur, sæpius extorquet tales quæstiones, quibus alias carere posset Ecclesia. *Multa* quippe, attestante Hipponensi Præsule lib. XVI. Civ. DEI c. 2. *ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius & instantius prædicantur & ab adversario mota quæstio discendi existit occasio.* Quare nec nos dicam futilitatis juste incurrimus, qui veritati hac quæstione violatæ suppetias ferre exoptamus, ne illa in periculum quovis modo attentatum incurrat; hinc videmus eos ipsos, qui tractationem hujus quæstionis, tanquam infructuosam, traducunt, manum tamen suam eidem tractandæ adponere & utriusque sententiæ argumenta ponderare. Videantur quæ observavimus supra Sect. II. §. VIII. Qui vero Quæstionis hujus inutilitatem atque præxeos nullitatem nobis objiciunt, illi vix negare possunt, quod, qui infantes Gentilium salvari contendunt, inveniant hic amplissimum campum deprædicandæ divinæ magnitudinem misericordiæ, qui damnari eosdem credunt, reperiant argumentum sat grande, rigorem justitiæ & Ecclesiæ, imo ipsius fidei necessitatem & nobilitatem ostendendi, quod tamen uberius deductum ultima nostræ dissertationis sistet Sectio.

§. LIII. Atque ita expendimus, quantum instituti nostri ratio passa est, *τὴν ἐποχὴν* eorum, qui hancce quæstionem indecisam relinquere voluerunt, atque nervos viresque rationum prolatarum suppressimus. Sequitur ut ad SECUNDAM CLASSEM abeamus, & nodos difficultatesque DUBITANTIUM extricemus. Videntur & iidem iisdem cum rationibus pugnare, cum quibus priores decertabant; provocant enim & hi ad dictum Apostoli sat superius excussum, existimantes, illud non tantum agere de judicio Excommunicationis, verum de judicio quoque Discretionis, quod pateat ex hac ratione, quia, qui foris sunt, curæ nostræ non sunt commissi, adeoque nec judi-

cium Absolutionis nec Condemnationis in illos ferendum esse, sed cum autore de Vocat. Gent. c. IIX. dicendum putant: *Non appetamus habere cognitum, quod voluit Deus esse secretum.* Aut certe quocunque se res habeat, nec nostræ saluti nec justitiæ Dei aut misericordiæ aliquid decedere. Sed vero illico apparet, hæc si attendantur, etiam dubitandum esse de salute adulatorum. Nec vim habere, si excipiatur, distinguendo inter objectum iudicii revelatum & non-revelatum, causando: in illo posse utique judicari, atque vel affirmari vel negari, non in hoc. Facile enim respondetur (I.) ita rationem, quia, qui foris sunt, curæ nostræ non sunt commisi, irritam reddi. Ratio enim, cur de infantibus sit dubitandum, non amplius erit, quia ad nos nihil attineant, sed quia nihil de iis revelatum; de quocunque enim nihil revelatum est, de eo quoque judicare non debemus, sed (quod nunc ex adversa hypothese pono) dubitare; quod manifeste patet inde, quia nec de infantibus fidelium in Ecclesia, qui tamen curæ nostræ commisi sunt, judicare debemus, sed dubitare, quoad ea, quæ non sunt revelata. (II.) Sicut iudicium multiplex est, ita etiam cura multiplex est. Non vult Apostolus nos curam gerere Gentilium in rebus ad ordinem Ecclesiæ externum pertinentibus, ut manifeste patet ex textu & interpretibus, sed non prohibet infinitas alias curas circa Gentiles obeundas. Debemus eorum curam gerere, ut salutem ipsorum, ubi possumus, promoveamus; Debemus curare, ut quæ ipsi bona habent, in usum nostrum convertamus, uti Paulus qui Arati verbis usus: Debemus curam gerere, ut de eorum ad Ecclesiam N. T. accessione ex Scriptura informemur; ad hanc curam potest etiam pertinere, ut sciamus, an ipsorum infantes salventur? quam nempe curam ideo suscipimus, ut in fide nostra confirmemur. Sed quid respondebunt nobis, qui hanc *ἰστορίαν* defendunt & tamen in alteram sententiam inclinant, aut pro utraque argumenta proponunt, si hoc illis dilemma opponamus: Aut adducta ab ipsis pro salute infantum Christianorum & infidelium

lium argumenta infantibus Gentilium vere applicari possunt: ita non dubitandum de salvatione, sed pariter certo pronuntiandum erit. Aut non poterit; Ergo damnatio iisdem certo certius decernenda erit. De quo enim nec ulla promissio, nec exemplum, nec præceptum exstat, de eo non est dubitandum, sed id in re meræ revelationis est plane negandum. Atqui de salute infantum Gentilium &c. Ergo. Quod si hoc verum, quemadmodum verissimum est, cum ita toto die adversus invocationem sanctorum, venerationem imaginum & reliquiarum & infinitos id genus cultus electitios in Papatu argumentemur, cadet certe omnis ratiocinatio atque dubitatio in hac quæstione dubitantium.

§. LIV. Pergimus jam ad magis momentosas rationes BENE SPERANTIVM examinandas, quas fere præcipuas atque ponderosiores *Tertiæ* inclusimus *Classi*. Huic qui nomina sua dederunt, provocant (I.) *ad Analogiam fidei*, ex qua clarissime constet, neminem reprobari, nisi qui *actu & morose* mediis fidei resistat. Quo argumento & Remonstrantes utuntur *Defens. Artic. II. p. 286.* Verum enim vero non videtur firmo robore niti hoc argumentum. Constat etenim & Actualem & Originalem repugnantiam damnare, quia Originalis repugnantia supponit etiam privationem notitiæ omnium articulorum fidei. Originale enim peccatum duo dicit ( $\alpha$ ) Privationem justitiæ Originalis adeoque summam in mente ignorantiam DEI & rerum sacrarum. ( $\beta$ ) Repugnantiam contrariam, ut naturaliter ne quidem admittat salutarem notitiam. Ergo per naturam & ob solam absentiam notitiæ mysteriorum fidei, & consequenter fidei ipsius, quæ notitiam illam essentialiter includit, homo salvari non potest. Ut itaque homo salvari possit, removenda est non illa tantum repugnantia naturalis notitiæ, sed etiam absentia credendorum & e contra credenda intellectui implantanda sunt, sine quibus fidem habere non potest. At hæc implantatio *ordinarie* non fit sine mediis, neque etiam repugnantia tollitur sine mediis. Unde

communis Theologorum doctrina est : repugnantiam naturalem, seu potius ejus necessitatem tolli per gratiam prævenientem, in verbo oblatam. Jam vero infantes Gentilium nulum habent medium, quibus fides ipsis ingeneretur & reluctantia Originalis auferatur, quia non habent verbum & Sacramenta, quæ sola sunt ordinaria media ad istos effectus efficiendos; ubi autem Originalis resistantia nondum sublata est, ibi nec ulla quæstio potest institui de actuali seu morosa resistantia auferenda. Nisi enim fons prius obstruatur, frustrum solliciti de rivis obstruendis. *Extraordinario* autem medio utrum ipsis succurrere velit DEus, quemadmodum succurrit infantibus Christianorum, id alio argumento probandum esset, quod ubi prolatum fuerit, an etiam vim aliquam in se ferat, infra dispiciemus. Hoc certe argumentum id non efficit, ut quilibet videt & clarissime demonstratum est. Quando autem Theologis dicitur, neminem reprobari, nisi qui *actu & morose* mediis fidei resistat, id intelligendum est de iis, quibus in Ecclesia per verbum Originalis repugnantia jam ablata est, sensusque locutionis est: Neminem eorum, quibus verbum prædicatur & offertur, ob inevitabilem quandam contumaciam, ex absoluto DEI decreto immisissam, damnari, sed ideo, quod verbo divino novum & morosum obicem præter naturalem illum, per verbum jam infirmatum, ponat. Quod vero infantibus Gentilium applicari non posse ultro intelligitur.

§. LV. Progredimur (II.) ad secundum hujus Classis argumentum, quod suam spem bonam probat *ab exemplo Niniuitarum*; hos enim, cum a Gentilibus Parentibus prognati fuissent, gratia & misericordia sua amplexus fuisse DEus dicitur, Jon. IV. ult. Quæ autem horum infantum est ratio, eadem & aliorum omnium esse merito creditur. De quo ut solide judicari queat, locus ipse & interpretes ejus curatius nobis inspicendi sunt. Verba DEI ad Jonam cucurbitæ irascentem sunt isthæc: *Et ego non parcam Ninive urbi illi magnæ, in qua sunt plus-*

*plusquam duodecies decem millia hominum, qui non noverunt inter dextram & sinistram suam & animalia multa? Duo nobis expendenda veniunt, quid per ignaros dextræ & sinistræ intelligatur? Et si intelliguntur infantes, an illi fidelium, an infidelium numero censendi sint? Et quidem quoad prius non desunt doctissimi interpretes, qui per eos, qui ignorant discrimen dextræ & sinistræ, intelligunt totam multitudinem, Niniven inhabitantem. Ita cæteris omnibus prævit *Lutherus*, cujus verba integra reddemus ex Tom. III. Altenb. p. 376. Es wäre denn, inquit ille, daß man es so deuten wolt, daß der Menschen, die nicht wissen, was recht oder linck wäre, solte so viel gewesen seyn als junge Kinder und Narren; der alten Leute aber so viel mehr gewest. Aber solche Deutung halt ich nicht, sondern, daß sie alzumahl nicht haben gewußt, was linck oder recht sey, das ist, wie wir sagen, sie wußten weder dies noch das in Göttlichen Sachen, als die kein Gesetz Mose noch Propheten hatten, welche sie hatten gelehret, wie sie solten beyde in geistlichen und leiblichen, eusserlichen und innerlichen Dingen für GOTT sich halten, wie die Jüden hatten, denn so mag man die Rechte deuten auff das Geistliche inwendig, und die Lincke auff das Leibliche auswendig, denn man GOTT mit Leib und Seel dienen muß. Christianorum eruditissimum sequitur Judæorum doctissimus *R. Jf. Abarbenel*, Commentario hujus loci. Nec mustea est hæc opinio, sed decus habet in antiquitate. Nam Hieronymus hoc loco: *Erat, inquit, in urbe plurima multitudo, quæ ignorabat ante actam pœnitentiæ, quid interesset inter bonum & malum.* Nec minus Chrysostomus in h. l. duodecim myriadas intelligit de omnibus Ninives civibus. Inter recentiores Ecclesiæ nostræ doctores huic opinioni assurgit & *D. Quenstedtius*, Syst. Part. IV. cap. V. de Baptismo Sect. II. p. 154. scribens: *Hic loci non speciatim sermonem esse de infantibus, sed de omnibus incolis urbis Ninivitarum, vel de centum millibus hominum, qui nesciebant, quid esset inter dextram & sinistram suam.**

Impugnat quidem hanc sententiam *Job. Mercerus* Comment. h. l. p. 527. ex eo, quod ea si admittatur, haud ita magna Civitas fuerit Ninive? e contra si atatis tantum parvulorum fuerint centum viginti millia, possit conjectari, quantus esset reliquorum numerus & quam grandis Civitas. Sed credo, Lutherum aliosque hoc ipsum commovisse, ut de omnibus Civibus verba intelligerent, quod si asserantur duodecim milliones infantum in urbe fuisse, omnes incolæ in monstrosam multitudinem, & urbs ipsa in amplitudinem excrevisset incredibilem. Quamquam non diffiteamur, celebrari hujus urbis stupendam magnitudinem ab historicis antiquis. Sed nec necesse judicavit Lutherus, proverbialem locutionem: *ignorare discrimen inter dextram & sinistram*, de dextra & sinistra proprie accipere, cum proverbia plerumque in se tropos & figuras contineant, & ignorare dextram atque sinistram sit, neque boni neque mali, neque veri neque falsi solidam habere cognitionem. Sunt qui hanc interpretationem etiam ex eo rejiciunt, quia per illam incidatur nervus collectionis Propheticae: ego misereor magnæ civitatis, quia in ea sunt multi baridi & stulti. Verum hæc refutatio forte feriet *R. Salomonem Farchi*, qui ad voces: *Et bestia multæ*, scribit: *Homines magni intelliguntur, quorum mens est ut bestiarum, qui, a quo sint creati, non agnoscunt.* Quam, nisi fallor, sequitur *Drusius*; non eos, qui dicunt, intelligi homines veræ religionis ignaros. Tum enim collectio firma est: Cur ego non miserear hominum, si tu cucurbitæ? Et quidem hominum tam miserorum, ut nihil intelligant veræ religionis; moniti vero a me per prophetam statim pœnitentia sua testentur, se me timere & notitiam meorum mysteriorum libenter discere velle, dum modo ego Te, Prophetam meum, ipsis concedam, eosque in veritate instruam. Hæc hujus loci sententia si teneatur, quilibet e vestigio videt, pro infantibus quicquam hinc concludi haud posse.

§. LVI. Sunt alii longe Clarissimi Viri, qui omnino locum de infantibus & parvulis accipiunt. E veteribus Theophylactus: E recentioribus Waltherus, Grotius, nostras Dnus D. Quistorpius in notis longe selectissimis, Calovius, Joh. Schmidius. His præivere ex Judæis R. Sal. Jarchi & R. D. Kimchi, itemque R. Salomo Ben. Melech, qui fere verbotenus Kimchium exscribit. De Pontificiis, nominatim Cornelio a Lapide ad h. l. nihil dicemus. Illi enim libentissime locum de parvulis interpretantur, ut inde contra Lutheranos concludere possint, parvulos non credere, quia non habent notitiam dextræ & sinistræ, h. e. nesciant, quid inter DEI veritatem & hominum mendacium intersit. Videatur Quenstedtius l. c. Nobis nunc non vacat, cum hoc hominum genere congregati, Nostrates vero rationes pro hac sententia passim insinuant, quia ipsi literæ propius convenit; proprie enim & in litera infantes nesciunt, quid sit dextra, quid sinistra: quia & alibi similis & idem significans phrasis de pueris, nihil intelligentibus, adhibeatur, nempe *nescire quid sit bonum, quidque malum*, Deut. I. 39. quia infantes potissimum, tanquam innocui & simplices, DEum ad misericordiam commovere poterant. Hæc enim dicere vult DEus: Ego non parcerem Ninives, in qua tot sunt innocui infantes, qui nihil mali facere possunt, e contra qui nunc in vera cognitione mea educati, gloriam Ecclesiæ meæ ad omnem posteritatem propagabunt. Sic etiam R. D. Kimchi: *Hi sunt parvuli, nec sciunt inter dextram suam & lævam, neque in illis est peccatum, nec est illis pena, nisi propter Patres & posteaquam patres resipuerunt, sunt absque pena.* Denique quia bestiis junguntur, in innocentia nimirum. Nam nec hæ peccarunt & excidii pœnam promeritæ sunt, adeoque commiserationem merentur. Celeberrimus Theologus, Dnus D. Aug. Pfeifferus, ut de Theologia nostra Orthodoxa universim, ita etiam de interpretatione S. literarum præclarissime meritus, in Comment. h. l. p. 61. novo argumento sententiam confirmat, eo quod non legantur illi nescire differ-

rentiam

rentiam inter dextram & sinistram, nempe inter bonum & malum, quod facilius ad contrariam sententiam torqueri posset, sed quod nec intelligant, quid sit dextra ad sinistram comparata, quodque adeo ne minimarum quidem etiam naturalium & quotidianarum rerum habeant scientiam, qui non possint esse nisi infantes.

§. LVII. Disquisivimus hactenus paulo prolixius de hoc loco, ut eundem qualitercunque illustraremus. Nunc vero dicimus, si huic posteriori communiorique sententiæ adhæreamus, infantes Ninivitarum considerari hic non ut infidelium, sed ut fidelium. Jam enim Parentes ipsorum fidem habuerunt concioni Propheticæ: *Crediderunt viri Ninives DEO & prædicarunt jejunium, indueruntque se saccis, a majori ipsorum usque ad minimum.* Jon. III. 5. Quid clarius: *Crediderunt*, erant fideles? Et ad testandam hanc fidem Rex Ninives publico mandato dies ordinavit pœnitentiales, *ut converteretur quisque a via sua mala & ab impietate ipsa, quæ erat in manibus eorum.* v. 6. 7. 8. 9. DEus quoque *vidit opera ipsorum, quod conversi essent a via sua mala & ipsum penituit mali, quod locutus fuerat se facturum illis, & non fecit.* v. 10. Ecce ipsius DEI testimonium, quod fuerint fideles! Vidit hoc R. D. Kimchius, quare ut supra notavimus, ad versum Prophetæ ultimum scripsit: *Non habent infantes pœnam, nisi respectu Parentum. Igitur postquam Patres respuerunt, sunt absque pœna.* Est qui inde probare satagit, quod hi infantes, ut infidelium liberi considerandi, quia, inquit, *extra Ecclesiam ab idololatricis parentibus sunt geniti.* Sed respondetur, cessare hanc rationem, quando Parentes fiunt Christiani. Probo ex communi omnium Theologorum sententia, quæ hæc est: Quando jure belli & alia quacunque ratione Judæi aut Turcæ perveniunt in potestatem nostram, suscipiuntque fidem Christianam, liberos ipsorum jus acquirere ad baptismum, non minus ac eos, qui ex Christianis parentibus geniti sunt, quia nimirum per Parentes ipsorum existunt in Ecclesia, cum pars sint familiæ Parentum. Videantur D. Hunnius



nius Tom. I. p. 1040. D. Balduinus IV. Caf. Confc. c. IIX. caf. IIX. p. 1075. D. Danhauwerus Hodof. p. 765. qui in recentiori Hodofophiæ editione p. 1002. videtur quodammodo ad hanc ipsam ſententiam accedere, cum ait: *Ninivitas hos infantes etiam cum parentibus ſuis ſuo modo penituiſſe, caruiſſe lacte materno, atque hinc vagitibus divinam clementiam imploraſſe, quin & a matribus ad illicium miſericordiæ expoſitos.* Quæ certe vim nullam haberent, niſi ut pars Parentum ſuorum, jam fidelium, fuiſſent reputati, conſequenter & ipſi fide præditi, cum ſine fide nihil, adeoque nec vagitus, DEO placeat.

§. LVIII. Provocant bene ſperantes III. *ad infinitam Dei miſericordiam.* At hæc nunquam eſt absoluta, ſed ſemper ad ordinem adſtricta. Ideo enim in Eccleſia baptiſmum pro infantibus, & verbum pro adultis ordinavit Deus, quibus infinitæ ſuæ miſericordiæ participes fieri poſſunt. Si absolute vellet miſericordiam ſuam exhibere, non opus fuiſſet verbo & Sacramentis. Et ubi non revelavit, ſe velle extra verbum & Sacramenta miſericordiam ſuam exhibere, ibi etiam credendum eſt, non velle ipſum extra verbum & Sacramenta miſericordiam ſuam largiri. Fruſtra in re tanti momenti extra Scripturam S. & revelationem aliquid aſſeritur. Imo contra Scripturam eſt, quæ dicit fidem eſſe ex auditu verbi, non extra auditum verbi, Rom. X. v. 14, 17. & regenerari hominem ex lavacro regenerationis, Tit. III. 5. non extra lavacrum illud. In re fidei, ut notum eſt, ex Scripturæ ſilentio negative etiam concluditur, h. m. non exſtat in Scriptura: quatuor eſſe perſonas Divinas, ergo firmiſſime concludendum eſt, non dari quatuor in una eſſentia Divina perſonas. Ita & hic: non exſtat in Scriptura, velle extra Eccleſiam DEum diſpenſare in decreto a ſe factò: *Quicumque non credidit, condenmabitur.* Ergo firmiſſime credendum eſt, DEum non diſpenſare. Et ratio manifeſta eſt, quia hæc talia ſunt ſupra omnem rationem poſita: Ergo ſciri nequeunt, niſi ex revelatione. Ergo quicquid in his, a ratione remotis, non eſt revelatum, nec eſt credendum.

e

dum. Ergo quia Scriptura nunquam dicit, aliquem hominum extra Ecclesiam regenerari extra vel verbum vel baptismum, itaque credendum est, neminem regenerari extra verbum & Sacramenta. Hinc non negamus, misericordiam DEI esse maximam, ardentissimam, imo tantam, quantus ipse DEus est, Sir. II. 23. sed tamen simul volumus etiam ordinem & media constituisse, in quo & per quæ hanc misericordiam suam dispenset, atque ad illa hominem, qui misericordiam Divinam vult esse particeps, adstrinxisse. *Nisi quis regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit introire in regnum cælorum.* Joh. III. 5. Necessarium hoc esse ex clarissima litera scimus: Extra hunc ordinem cuiquam, nisi populo & peculio suo, gratiosum esse velle DEum, nescimus.

§. LIX. Provocant IV. ad *meritum Christi universale*. Quod quidem verissimum est ratione Acquisitionis non Applicationis meriti hujus, quæ applicatio sine fide fieri nequit. Meriti enim istius fructus ad neminem redundat, nisi illud fide quis recipiat, expresse hoc dicente Christo: *DEus misit filium, ut omnis, qui credit, non pereat,* Joh. III, 14. adeo ut sine fide impossibile sit placere DEO, Hebr. XI, 6. Ut adeo nec intra nec extra ordinem velit ullum sine fide salvare, secus si foret, non impossibile esset sine fide placere DEO. At fides non generatur immediate & sine mediis, ut antea probatum. *Quin* & meritum hoc sufficiens in se est, modo peccator nec actualiter, nec originaliter repugnet. Neque enim quis hac conditione Christum pro omnibus peccatoribus mortuum esse dicet, ut nihilominus illi salventur, etsi increduli sint & in infidelitate perseverent. Esse vero præter verbum (quo & ardentissimæ preces pro salute infantis, in utero extincti, aut in partu suffocati, fusæ, quippe divino verbo consecratæ, continent) & Sacramenta, non aliud medium, meritum Christi sibi appropriandi, tamdiu ex claræ Scripturæ litera, Joh. III, 5, 6. Rom. I, 16. Joh. V, 8. 1. Petr. I, 23. credimus, donec alia æque clara litera ex eadem nobis Scriptura adducatur, quæ demon-

demonstret, DEum non tantum posse, de quo, supposito merito Christi, nemo dubitat, sed & velle meritum Christi nobis applicare, etiam extra verbum & Sacramenta. Quod nec cum specie aliqua fieri poterit. Unde & ad insinuandam hanc in ipso DEI iudicio inter infantes Gentilium & Christianorum differentiam D. Gerhardus observat in Explic. Evang. in Festo Circumcis. p. 176. ad infantes circumcisorum dicere Christum: *Sinite parvulos ad me venire.* Matth. XIX. v. 14. ad infantes vero Gentilium: *Non est bonum sumere panem & eum mittere canibus.* Matth. XV, 24, 26. Atque adeo summatim verum est id, quod docent Articuli Smalcaldici, art. IIX. p. 331. *Constanter tenendum est, DEum nemini spiritum vel gratiam suam largiri, nisi per verbum.*

§. LX. Provocant V. *ad manum Domini non abbreviatam.* Sed ex hac non plus sequitur, quam DEum posse Gentilium infantes salvare, iisdemque fidem infundere, si velit; at velle illum eos salvare, exinde non probatur. Nec manus ejus abbreviata esset, quin omnes homines per absolutam potentiam, postquam justitiæ ipsius, per peccatum læsæ, a Christo satisfactum est, vi cogere ad fidem, aut arcana irresistibili virtute ex infidelitate eripere, (sicut juxta nonnullos Theologos Paulus vi DEI irresistibili conversus est) & omnes sic homines salvare posset; sed quia hoc non tantum revelatum non est, quod futurum sit, sed contrarium potius exstat, frustra id creditur. Præterea locus ille Es. LIX, I. ex quo hæc phrasid desumpta, agit de corporalibus beneficiis, si illa a DEO exorentur debito modo, tum DEO non esse difficile, ea concedere. At quomodo hoc applicatur ad infantes Gentilium, qui nihil a DEO petunt, nec per Parentes, nec ex seipsis. Sententia itaque divina apud Esaiam est: Omnipotentiam divinam non infirmiorum factam esse nunc, quam olim fuerat, cum tanto cum robore & forti manu populum suum ex infinitis periculis eripuit, quin & nunc ex captivitate Babylonica educere possit. Id vero cur jam non faciat, peccata ipsorum in causa esse, quæ DEum quasi invitum impediunt, ut auxilium illis præstare ne-

queat. Si hunc sensum (præter mentem certe divini scriptoris) libeat ad infantes Gentilium applicare, etiam ipsorum peccata eos a DEO dividunt, quantumvis ipsis connata. Involvit enim peccatum Originale privationem omnis boni, adeoque & præsentia DEI & infert pœnam æternam, quæ est reiectio a facie DEI. Si hoc Originale peccatum extraordinario modo iis aufert, aut vim certe ejus infringit, cur non & hoc modo extraordinario adultorum Gentilium, omni honestati deditorum, peccata removet & fidem iis concedit, ut salvari possint?

§. LXI. Provocant VI. *ad preces pro omnibus hominibus a nobis faciendas, 1. Tim. II, 1. quæ nec pro his erunt frustraneæ.* At certum quidem est, preces pro Gentilium non infantibus tantum, sed omnibus quoque adultis fieri. Quemadmodum vero preces pro adultis factæ non sunt frustraneæ, si vel maxime unus tantum alterque nonnunquam convertatur: Ita nec preces pro infantibus Gentilium & Judæorum sunt frustraneæ, etsi tantum raro aliqua eorum familia tota ad nos convertatur, & ea occasione simul infantes ejus familiae baptizentur. Deinde, quando pro Gentilibus oramus, non oramus, ut eos DEUS velit immediate & extraordinarie sine ullo medio, vel verbi vel Sacramentorum salvos facere, sed ut velit eos traducere ad notitiam verbi sui & Sacramentorum, & iisdem illuminare corda ipsorum atque hoc pacto eorum misereri, eosque salvare. Non enim aliter orare possumus, quam juxta voluntatem divinam, Matth. XVII, 10. Nulla autem voluntas divina revelata est, qua velit Gentiles sine verbo & Sacramentis convertere, ut jam sæpius dictum est.

§. LXII. Provocant VII. *ad sententiæ, quæ Gentilium infantes absolute omnes damnat, duritiem & austeritatem, eo quod non curaverint seipsos baptizari, quod tamen in ipsorum potestate positum baud fuit.* At vero constat (a) Ipsam Scripturam eos damnare, non nosmet pro lubitu & ex perverso affectu aliquo occupatos. Clarissima ejus rei sunt testimonia, Marc. XVI, 16. *prolata; qui non credit, damnabitur.* Item: Joh.

III, 18. *Qui non credit, ille jam judicatus est*; quæ dura & crudelia, quia DEum autorem habent, dicenda non sunt. ( $\beta$ ) Prorsus etiam de adultis Gentilibus simplicioribus ita dicere possum: Durum esse, eos e Gentilibus, qui omnes virtutibus studuerunt, absolute damnare, eo quod non curent sese ex Evangelio informari, ut fidem accipiant, quod tamen in ipsorum potestate non est. Ita jam olim argumentatus est Andræus, cujus verba refert D. Chemnitius Ex. Conc. Trid. de Oper. Irr. p. 1. Certissimum enim est, plurimos dari Gentiles, qui optime vivunt, & tamen æque non possunt ad loca pervenire, ubi Evangelium prædicatur Christi, ac infantes tales non possunt pervenire ad baptismum. Proposuit hoc dubium de impossibilitate baptismi in infantibus, comparavitque cum impossibilitate perveniendi ad fidem per verbum in adultis, jam olim Augustinus L. 1. de N. & G. Tom. VII. p. 734. neque aliter dissolvit, quam Scripturam utrique aperte adjudicare damnationem; quæ a nobis crudelitatis ideo arguenda non sit. Nempe revera promissa & adjudicata infantibus Gentilium salus primus ille gradus est, quo Zwinglius aliquis, vel redivivus Edwardus Herbertus, ad alterum illum gradum descendat & perveniat, ut existimet, & adultos Gentilium simpliciores & pietatis studiosos salvari, cum inter infantem Gentilem & adultum probum Gentilem nulla videatur differentia, etiam ratione difficultatis & impossibilitatis perveniendi ad baptismum. Hunc igitur in adultis Naturalismum rejicere, si durum & crudele non est, neque durum & crudele erit, damnare cum Scriptura Gentilium infantes.

§. LXIII. Provocant VIII. ad illum veterum Canonem: *Contemptus non privatio damnat*. Verum enim vero neminem (I.) latere potest, hunc canonem non ita nude & crude esse accipiendum, omnique rei promiscue applicandum, cum nec multi ex adultis Gentilibus, pietati deditis, malitiose baptismum contemnant, tanquam nullam notitiam habentes vel de ejus existentia vel salutari fructu, imo qui ipsis nunquam

offertur. (2.) Huic canoni alia regula Theologica opponitur: *Sola ignorantia fundamentalium fidei articulorum damnat. Item: Solum peccatum Originale damnat, nisi meritum Christi fide apprehensum intercedat.* Ast hoc nullis mediis sublatum in infantibus Gentilium & infidelium post ipsorum discessum ex hac vita remanet, adeoque & mortis æternæ reos illos non potest non reddere. (3.) Regulam illam tantum in infantibus Christianorum procedere, exploratæ veritatis est, quippe quibus aliquid *ανάλογου* in baptismo contingit, scilicet extraordinaria DEI operatio, semini bonorum & piorum, non vero Gentilium, promissa & per preces parentum exorata.

§. LXIV. Diluenda hic aliqua difficultas est, quæ ex eo enascitur, quod Celeberrimum Scherzerum scripsisse supra diximus, peccatum Originale non esse adæquatam damnationis causam, illudque confirmare D. Menzeri suffragio & aliorum. At vero mera sine dubio ambiguitas in verbis est. Nam peccatum Originis esse & sufficientem & adæquatam damnationis causam, illo ipso loco & agnoscit & probat; hoc tantum cum Menzero dicit, non immediatam causam esse respectu eorum, quibus per verbum fides offertur; in his enim præter naturalem repugnantiam & incredulitatem, ut vocatur, negativam, quæ est nuda carentia fidei, accedit nova & malitiosa repugnantia & incredulitas positiva, quæ contumaciam adversus verbum oblatum exercitam includit, quæque immediate damnat, ceu ibidem prolixè docet Scherzerus, qui tamen ideo non negat, peccatum Originale mortem & damnationem mereri. Imo nec hoc negari debet, idem peccatum Originale apud eos: quibus verbum actu non offertur, vel solum damnationem inferre, Rom. V, 12. Unde disertè Augustana Confessio: *Peccatum Originis damnat ETIAM NUNC hos, qui non renascuntur per baptismum & Spiritum Sanctum.* Quid poterat magis exprimere thesin: Peccatum Originis est adæquata damnationis causa? Fusè de hoc argumento contra Novatores quosdam agit D. Calovius Harmon. p. 918. seqq.

seqq. Videatur & D. Frankius in Exerc. Anti-Wendelin. Exerc. III. §. XVII. p. 143. seqq.

§. LXV. Provocant IX. *ad voluntatem & promissionem DEI, quæ omnibus bene cupit.* At hanc voluntatem non esse absolutam, sed ad certa media restrictam, eaque includentem, supra demonstravimus. Constat equidem, DEI voluntatem antecedentem sive misericordiæ esse Universalem, qua vult omnium hominum salutem, 1. Tim. II, 4. quantum in ipso est, sed hac non obstante reperitur etiam in DEO voluntas Consequens sive justitiæ & particularis, qua peccatores incredulos, quatenus increduli sunt & manent, non vult salvare, sed damnare, Joh. III, 18. cui cum infantes Gentilium per peccatum originale subjecti sint, hoc ipso sese simul omni jure & solatio, quod ex priore in illos redundare posset, privant; nec tamen propterea definit voluntas antecedens, quasi expuncta a consequente. Manet idem affectus salvandi, qui ante fuit, conditione nondum impleta, qua impleta & perfecta non amplius antecedens est, sed subsequens. Impletur autem conditio per fidem, quæ cum in infantibus infidelium, nec a natura, nec per media producat, hinc plane abest, adeoque nec fructus salutaris subjectum particeps fit, sed justum DEI rigorem experitur.

§. LXVI. Iterum hic aliqua nobis solvenda est difficultas, quæ ex eo enascitur, quod videantur promissiones salutis & Gentilium liberis factæ esse. Gen. XXII, 18. Jerem. XXXI, 3, 4. Act. II, 39. Ergo perinde ut Christianorum liberi ἀπαύριτοι salvabuntur. Respondendum est I. promissiones non esse tantum Gentilium infantibus, sed & adultis factas. Si itaque sola promissio salutem adferat infantibus, allaturam esse & adultis; quod absurdum. II. Promissiones gentilibus factæ eo tantum tendebant, ut gentilibus aditus ad Ecclesiam & media salutis magis aperte in N. quam V. T. paterneret, non ut salutem immediate per easdem impetrarent. III. Promissiones Christianorum infantibus factæ sunt ut liberis familiæ, genti-

gentilibus ut peregrinis & hospiti- bus. Hi non poterant ad beneficia Ecclesiæ admitti, nisi præstitis præstandis: illi autem hæreditatem adire poterant, etiam si a quibusdam requisitis, quæ ratione ordinis alias necessaria erant, per inevitabilem casum excluderentur.

§. LXVII. Provocant X. *ad defectum omnis culpæ* in his infantibus, dum hac ratione interitum luerent, non sua sed Parentum culpa promeritum. Verum respondemus: Ergone Peccatum Originale non damnat? quia id non habemus nostra, sed Parentum culpa? Rom. V, 12. Objiciant hoc Arminiani & Sociniani, quibus Pecc. Orig. peccati tantum spectrum est. Nos ex Scriptura rectius informati sumus. Locum Ezechielis pro innocentia liberorum, quodque parentum peccata imputari ipsis nequeant, allatum vindicavit Magnif. Dnus Præses in Thef. Polem. §. XIII. Vid. quæ supra ex D. Affelmanno & D. Hunnio sunt in medium allata.

§. LXVIII. Provocant XI. *ad voluntatis divinæ efficaciam*, hoc modo formatam: DEum velle omnes salvare & quidem non tam voluntate complacentiæ quam efficaci, efficacem autem media complecti, quæ si non reperiantur ordinaria, necessario sint extraordinaria. Nimirum in hæc media extraordinaria, eorumque necessitatem, vis omnium propemodum argumentorum, quæ pro salute horum infantium adduci solent, tandem resolvitur. Sed Resp. (1.) Voluntatem DEI efficacem esse non absolute, sed intra ordinem, si nimirum observetur ordo a DEO constitutus. Sic primo efficax est per naturam, ad adducendum hominem ad Ecclesiam, quem ordinem si observaverit, sequitur auditus verbi, atque sic porro: soluto autem uno hujus ordinis articulo, efficacia quoad effectum ideo cessat, quia illa ad ordinem adstricta erat, neque nisi intra ordinem laborare volebat. (2.) Sicut non obstante efficacia gratiæ vocantis per verbum, tamen horum, qui per verbum semel vocati sunt & vocationem spreverunt, posterius juste & non obstante voluntatis divinæ efficacia nova voca-



vocatione prætereuntur: & tamen horum posterorum neminem DEus vult perire; ita cur non & in his posteris possunt esse infantes? Si voluntate efficaci horum posterorum adultorum salutem DEus vult, & tamen eos verbo neque mediate neque immediate vocat, sed ex justo iudicio ob contemptum a Parentibus ipsorum vocationi per verbum oppositum, iis utramque vocationem denegat, cur id non possit etiam iuste fieri circa ipsorum infantes, & tamen hæc voluntas efficax vocari? Vbi ratio eadem est, ibi eundem esse rationis effectum ultro intelligitur, Vide vero (3.) quam periculosum hoc sit asserere; extraordinarie DEum subvenire infantibus Gentilium! Annon & hæc est ratio Huldr. Zwinglii, qui Gentiles virtuosos in cœlum locavit, quem Rod. Gvaltherus pariter ita excusavit, quod DEus talibus Gentilibus virtuosis secundum Zwinglium in vitæ sine extraordinaria gratia succurrat, & iis fidem in Christum infundat. Vide anne hac quoque ratione porta aperiatur Weigelianis & Enthusiasticis & recentioribus Prophetis, quorum mentionem §. XXII. injecimus, baptismum, tanquam nudam ceremoniam, parum vel nihili habentibus; e contra lumen quoddam congenitum & spiritum sine verbo intus agentem, ubique crepantibus, quibus alii in hac materia ad satietatem usque os obdurarunt, nosque ab hoc onere liberarunt. Vidit (4.) hoc periculum Theologus e primariis B. Balth. Meisnerus in Anthropol. Dec. I. disp. VII. quæst. 2. th. 18. inquit: *Extraordinarie autem & immediate an DEus eos velit convertere, nullibi scriptum nec revelatum nobis est, neque a priori neque a posteriori demonstrare possumus.* Rectissime Vir Doctissimus non vult temerario ausu id asserere, sed victus veritate fatetur, in re tam abstrusa & a ratione longissime remota nihil credendum esse, nisi ex revelatione clarissima demonstraretur. Demonstrationem ex tota Scriptura adduci non posse, liberalissime fatetur. Quod vero ex Scriptura probari nequit, id ab homine Christiano fortissime merito rejicitur. Quod si ex Scripturæ generalibus assertis constet,

quemcunque incredulum & originali peccato infectum dam-  
nari, constatque pariter Gentilium liberos incredulos esse &  
peccato originali infectos, tum injuste ad aliam rationem re-  
curro, quæ quandam extraordinariam gratiam, silentibus Scri-  
pturis, confingat. Quis vero (5) non videt, cum dicitur ex  
Scripturis; nemo fidem habet, nisi vel ex verbo, vel ex Sa-  
cramentis; & ego, hoc non obstante, excipio infantes Gentilium,  
qui fidem habeant ex extraordinaria DEI operatione & gratia,  
alium posse pariter excipere ob easdem prorsus rationes; Genti-  
les quoque adultos & virtuti deditos ejusdem extraordinariæ  
gratiæ participes esse? Et sic plenis velis inducitur Zwinglii asser-  
tum, novissime a Phil. Limborchio, Arminianæ sectæ Doctore, ti-  
tulo extraordinariæ & superabundantis gratiæ incrustatum. Verba  
viri & refutationem Frankianam jam supra suo loco adduximus.

§. LXIX. Provocant XII. *ad vocationis Universalitatem*,  
quæ cum debeat esse sufficiens, & tamen neque per verbum  
neque per baptismum infantibus Gentilium obtingat, neces-  
sario sequi contendunt, extraordinarie & immediate vocari.  
Ita M. Frid. Wendelinus Exerc. XXXVIII. §. XI. p. 580. Ve-  
rum ad hoc argumentum jam supra responsum, quando de  
voluntatis DEI Universalitate & efficacia agebatur. Sufficit  
justo DEI judicio, infantes Gentilium in parentibus ipsorum  
vocatos esse & vocari amplius potuisse, si parentes ipsorum  
Divino sese ordini attemperassent. Conferantur hic verba D.  
Höpffneri, supra a nobis producta §. XLI. quibus nunc adde-  
mus, quæ pagina antecedente habet: *Culpa cur multi hodie  
populi in tenebris hæreant, vel propria est, vel aliena in majoribus.  
Quemadmodum enim aliqui pereunt propter negligentiam pastorum,  
non admonentium eos DEI nomine, ut recedant a via impia, E-  
zech. XXXIII. 8. ita tamen, ut accusari DEI justitia aut decretum  
non possit: sic nec hic decreto Divino aliquid est imputandum, si qui  
per negligentiam majorum verbo DEI orbatu pereunt, a quibus ma-  
joribus DEus sanguinem universæ posteritatis perditæ requireret, non  
minus atque a pastoribus infidelibus animas auditorum pereuntium.*

*Quod*

*Quod merito hodie terrorem incutere debebat securis verbi contemptoribus. Cur autem culpa parentum amittatur verbum, similiter per analogiam quandam ostendimus. Quemadmodum se habet justitia concreata in Adamo ad posteros: ita se habet Evangelium in majoribus ad posteros. Sed justitiam Adamus non solum pro se, verum etiam pro posteris accepit, & per lapsum non solum sibi, ut privatus, verum etiam omnibus simul posteris amisit. Ergo & quando DEus Evangelium toti populo aut nationi concedit, non tantum ipsis, verum etiam posteris ipsorum amplectendum largitur, ita ut posterum omnes ac singuli a majoribus illud accipere debeant. Amittentibus autem majoribus verbum, una privantur & posterum, nisi DEus ex immensa misericordia illud vicissim accendat. Sequuntur verba superius allegata.*

§. LXX. Ad *Quartam Classem* properantes, peculiariter eorum sententiam discutiemus, qui per mediam DEI scientiam controversiam hanc tutissime dirimi posse autumant, quorum totum fundamentum dicto Apocalypitico cap. XX. v. 12. innititur; sed haud satis firmo tantæ rei sustinendæ fulcro. Nam si verum est, quemadmodum Scripturæ valde conveniens esse videtur, quod Tarnovius noster in medulla sua Evangelica p. 272. asserit, *per parvulos & magnos statura & dignitate tales hic intelligi, quia unusquisque & suum ipsius corpus & carnem recipiet*, Job. 19. quod & multis exemplis illustrat: *Hinc videbis*, pergit idem, *Cainum & Abel: Nimrodum & subditos: &c.* multum peribit argumenti species. Secutus est Tarnovius Cornelium a Lapide, qui per magnos & parvos generaliter intelligit tum ætate & statura tales, ut sunt pueri decem vel quatuordecim annorum (minores enim ideo non intelligi putat, quia statim subjiatur, pusillos esse judicandos secundum opera, quæ vero infantes non habent) tum potius dignitate & gradu, i. e. omnis generis & conditionis. Non improbabilem reddit hanc opinionem ex eo, quod magni & parvi, hoc posteriori & morali sensu præcedente capite Apocalypseos v. 13. pariter accepti fuerint. Addimus nos & reli-

quum Scripturæ usum, Gen. XIX, 11. Job. III, 19. Sap. VI, 8. Jerem. VI, 13. c. VIII, 10. Jon. III, 5. Jer. XXXI, 34. XVI, 6. Psalm. CXV, 13. Num. XXII, 18. I. Sam. XX, 2. XXII, 15. XXV, 36. I. Reg. XXII, 31. I. Chron. XXVI, 8. Deut. I, 15. In quibus, aliisque plurimis locis, non tam quantitatem molis, quam virtutis denotat, imo proverbiali locutione distributionem potius absolutam & universalem, præcisa mole virtute. Quemadmodum & locum nostrum *παραφράζει* Osiander: *Nemine excepto, qui unquam vixerat.* Hieronymus quidem Kromayerus in Comment. h. l. p. 516. per parvulos vel infantes vel minoris ætatis pueros intelligi debere disputat: *non enim est, inquit, cur literam hic nimis claram deseramus, præsertim cum non opiculus sit, qui de significatione ista impropria nobis faciat indicium.* Veruntamen in ejusmodi loquendi formis, proverbialibus præcipue, non tam litera quam usus respiciendus est, penes quem est & vis & norma loquendi. Hic autem ex testimoniorum multitudine sufficienter enitescit. Sit autem ita; denotentur ætate parvuli: quomodo illi juxta scientiam mediam judicabuntur? Si secundum id judicat DEUS, quod per scientiam mediam prævidet esse futurum, non quod actu secundo existit aut determinate futurum est, cur non & Tyriis & Sidoniis salutem tribuit, apud quos si quæ in Chorazim & Bethsaida signa facta fuissent, in cinere & sacco poenitentiam egissent, Matth. XI, 12. Verborum faciam compendium verbis Dni Præsidis mei, ex thesibus ejus Polemicis §. XXX. mutuatis: *Est, inquit hic, qui ex Apoc. XX, 12. probabiliter colligi ait, DEUM per scientiam mediam non excussionem mediolorum oblatores in quibusdam prævidisse, id est, sub hac conditione si servasset in vita superstitibus, obtulissetque illis ordinaria salutis media, tum non fuisse excussuros prævenientem illam gratiam. Id patere ex hoc loco Apocalyptrico, ubi omnes singulique mortales dicantur judicati secundum opera sua; At opera actu existentia non habuisse parvulos, quæque adeo objectum intuitivæ DEI scientiæ esse nequiverint. Quare relinqui, parvulos habere opera existentia in scientia DEI*  

*media*

media & scripta in hunc librum scientiæ mediæ. Sed, quod pace Magni viri dixerim, infirma est hæc collectio. Nec enim sequitur: Judicati sunt secundum opera, ergo vel existentia vel exitura; Quin potius secundum non-existentia, hunc in modum: Quia supremus iudex in his nulla omnino invenit opera, de fide testantia, quæ habere utique debebant, ideo sententiam tulit, damnandos esse. Quemadmodum parens peregre profecturus, si ad filios suos diceret: Redux domum secundum opera vestra vos remunerabo; dicto suo satisfaceret, si & in nihil agentem & ignavum debita pœna animadverteret. Præterea si DEus quoscunque media ipsis oblata non excussuros prævidit, salvaturus est, necesse est, neminem Gentilium infantum salute excludi, cum nemo eorum, si primum atque principalissimum solutis medium, nempe baptismus, in infantia ei offerretur, id excussurus esset. Adde his alia verba ejusdem Dn. Præsidis mei, olim Durlaci proposita, in Theſibus Miscell. th. 2. Quamquam, scribit ille, præterea in infantibus etiam actu sint opera mala i. e. peccata, eaque non omissionis tantum, sed & commissionis, ut vocantur actualia, ceu alibi probatum supponimus. Porro quem scientiæ mediæ terminum pones, in quo figatur respectus divini oculi? Si respiciat DEus annum hominis Gentilis vigesimum, forte inter Christianos erit & credet. Si tricesimum, ad populares suos reversus fidem abnegabit. Si dixeris fatalem vitæ cuiuslibet finem attendi, cur non attendit primum & a natura positum vitæ terminum, cum in infantia moreretur; cur vero secundum? cur non tertium, quartum, quintumque, si vitam nempe ultra secundum prorogasset? Aut quo argumento ducor, in secundo potius quam tertio alioque misericordiæ diviniæ secundum scientiam mediani terminum figi? Hæc ille. Longè fufius adversus D. Hülsemannum & absolutissime disputat D. Osiander Tom. VI. Coll. Syst. p. 150. seqq. ut nihil plane addi possit. Sed & deserui a D. Scherzero Hülsemannum, & Hülsemannum suammet retractasse opinionem, jam supra monuimus. Unum addo: Plane singulare mihi videri, quod, ubi de Pelagianis agunt Magdeburgenses Centuriatores, Cent. V. p. 582. recensent inter

eorum errores & hunc, quod infantes ante baptismum morientes partim perdi, partim salvari dicant, *prout futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur aetatem, divina scientia præviderit.* Quæ esset species scientiæ mediæ, quanquam ab Hülsemanni diversa. Sed quia hæc aliis Pelagianorum hypothesibus e diametro adversa est, nihil habeo, quod de hac Centuriatorum assertione judicare queam.

§. LXXI. Omnibus ergo impedimentis, nostræ menti obstantibus, penitus sublatis atque tot objectionibus adversantibus destructis, securius tandem *Quintæ Classi* accedimus, illique totum nostrum assensum & consensum submittimus. Austera licet primore intuitu videatur hæc sententia, & a qua quodammodo abhorreat Christianum pectus, meminisse tamen oportet, *nostras cogitationes non esse DEI cogitationes*, Ef. LV, 8. nec DEI judicio crudele esse, quod crudelitatem quandam nostro judicio præ se fert. Nec inspiciendum nobis est Numen tantum ut optimum & benignissimum, sed etiam ut justissimum & peccatis quibuslibet infensissimum. Durum videtur, hominem ob temporale peccatum, etiam unum & brevis temporis, æternis & nunquam terminandis pœnis addicere, nec tamen ideo falsum hoc est, aut Origenianismus aliquis fingendus, qui Diabolis salutem polliceatur. Recte Bellarminus, quamquam ad finem non rectum, Lib. VI. de Am. Gr. & St. Pecc. c. II. p. 576. *Illud præfandum esse videtur, misericordiam nostram erga parvulos jam defunctos nihil eis prodesse; & contra eisdem nihil obesse sententiæ nostræ severitatem: multum autem nobis obesse, si ob inutilem misericordiam erga defunctos pertinaciter aliquid contra Scripturas aut Ecclesiam defendamus. Ideirco non affectum quendam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scripturæ, Conciliorum & patrum sententiam consulere & sequi debemus.* Bene equidem dictum, si unquam, a Bellarmino.

§. LXXII. Quinimo nec eousque audemus miserationis nostræ viscera aperire erga infidelium infantes, ut vel quietem  
a dolo-

a doloribus & passionibus iisdem promittamus, pœna damni, quam vocant, contenti. Dudum a nostris demonstratum est, neque locum aliquem tertium inter cœlum & infernum, neque statum aliquem tertium inter cœlestem & infernalem, in Scriptura nobis describi. Immo nec ex antiquitate hanc differentiam solide demonstrari posse. Non est nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Quamquam, quia pœnarum infernalium, ut & gloriæ, gradus præeunte Scriptura non inficiamur, & vero hi secundum peccatorum vel magnitudinem vel parvitatem distribuuntur, ultro consequatur, quia infantes peccata actualia, eaque voluntaria, non habent, eos pœna omnium mitissima puniri. Conferatur suffragium D. Kromayeri, supra §. XLIV. adductum.

§. LXXIII. Jam in probanda sententia nostra non est, ut in ullam prolixitatem diffundamur, cum ideo tam fuse doctores eandem amplectentes & eorum rationes atque argumenta supra adduxerimus, ut hic nobis faceremus aliquod otium. Redigemus igitur hic tantum in ordinem, & ubi opus erit, ad superiora provocabimus. Probatur itaque infantum extra Ecclesiæ pœneria natorum damnatio I. *a remotione omnium reliquarum sententiarum*, quæ hæctenus de horum infantum statu a Theologis fuere productæ. Quarum examen cum jam antea susceperimus, nunc omni ulteriori labore supersedemus.

§. LXXIV. Probatur II. *ab expressa exclusione Gentilium a salute*. Sunt enim Gentiles in universum *sine Christo, abalienati a politia Israëlitis & peregrini testamentorum, promissionis nullam spem habentes, & sine DEO in mundo*, Eph. II, 12. adeoque *filiis iræ per naturam* v. 3. Quid poterat clarius dici? Si gentilium infantes ab hoc effato exceperis, eadem opera eos extruderis ex familia Parentum suorum, & partem feceris Ecclesiæ Christianæ. Quod quam absurdum sit, nemo non videt. Idem Apostolus Eph. IV, 17. seq. Gentiles ambulasse ait secundum vanitatem mentis suæ, in impudicitia aliisque vitiis, ideo quod *obscuratam haberent mentem, quod essent abalienati a vita*

DEI

*DEI propter ignorantiam, quæ est in illis, propter obdurationem cordis illorum.* Ita nempe describit labem originale, fœcundum omnium scelerum fontem. Aut itaque infantes Gentilium natura non fuerint obscurata per ignorantiam mente, sed in mysteriis illuminata, neque fuerint mortui in peccatis, sed vixerint DEO, quod inter absurdissima merito recensetur, aut damnationis fuerint rei. Certe qui non habet vitam in DEO, is spiritualiter mortuus, consequenter damnationi destinatus est; unde & alibi Paulus dicit: *DEum daturum vindictam in flamma ignis iis, qui non norunt DEum*, 2. Theff. I, 8. At Gentiles omnes tam infantes, quam adulti, non norunt DEum.

§. LXXV. Probatur III. *A natura peccati Originalis, cuius, ut peccati omnis, stipendium mors est*, Rom. VI, 23. & ob quod *mors in omnes homines, adultos & infantes, pertransit, quia in primo homine omnes originaliter peccarunt*, Rom. V, 12, 18. I. Cor. XV, 22. Testatur autem Augustinus lib. de Pecc. mer. c. IX. ipsos Pelagianos hoc de animæ morte intellexisse, quæ nihil est aliud, quam vita alienata a DEO, ceu antea audivimus. Et consentit plane Augustana Confessio, quæ mortem peccato Originali denunciat in iis, qui non renascuntur per baptismum & Spiritum Sanctum. Quo ipso mortem animæ intelligit; nam mortem corporis baptismus non elidit. Non autem renascuntur Gentilium infantes sive per baptismum, sive per Spiritum Sanctum.

§. LXXVI. Probatur IV. *A deficiente medio salutis, ex parte hominis unico, fide.* Sine hac neminem salvari indubium est, ex Joh. III, 5. 16. 18. Marc. XVI, 16. Rom. III, 28. Hebr. XI, 6. 2. Theff. I, 8. Qui vel unum hominem dixerit sine fide salvari, is contradixerit evidentissimæ literæ: *sine fide impossibile est placere DEO.* Jam infantes Gentilium, neque habent verbum, ex quo fides oritur, Rom. X, 17. neque baptismum, qui generat in nobis fidem Gall. III, 26. 27. Neque parentum aliorumque preces, quibus Christo offeruntur, quem maledictis potius & convitiis proscindunt. Lege verba



verba Lutheri §. XXX. emphatica, & Melanchthonis §. XXXI. Nec ullum etiam aliud medium extraordinarium, quia nullum revelatum est, & extra revelationem nihil supra rationem positum credi debet. Videatur Tarnovius §. XXXIX. Itaque concludit D. Hunnius §. XXXIV. *increduli sunt Gentilium liberi; ergo pereunt.* Qui igitur Tarnovio nostro, ex defectu medi-  
 orum, quibus communicatur fides, pro defectu fidei in infidelium infantibus argumentanti, regerit per distinctionem medi-  
 orum ordinariorum & extraordinarii, quod est immediata operatio Divina, *per quam fidem salvificam iis possit concedere,* is parum equidem efficit, cum non quærat, quid possit DE-  
 us, sed quid velit. Possent DEus gentilium infantes corpore anima-  
 que sine intercedente morte omnes visibilibus cælo inferere, sed ideo extra ordinem hoc actu fieri asserendum non est. Dices: DEum quidem homines ad media consequendæ gratiæ suæ alligasse, sed non semetipsum. Posse enim sine iis salvare. Atque ita nos pro salute infantum Christianorum ἀβασίλων argumentari; cur itaque idem non valeat circa salutem gentilium? Respondetur; duplicis generis argumenta a Theologis pro salute infantum Gentilium afferuntur; nonnulla probant, eos non obstantibus severissimis DEI edictis, Joh. III, 28. 36. 2. Thess. I, 8. tamen posse salvari; qualia sunt in ordine argumentorum Quenstedtianorum primum & secundum: alia probant, actu eos ipso salvari & fidei participes reddi, qualia sunt reliqua omnia, quorum nullum in gentilium infantes quadrat. Hæc posterioris generis argumenta nisi essent, fragilis omnino & nullius pretii fides nostra esset de salute infantum. Fides enim, quæ non habet verbum certum, sed tantum in potentiam quandam, seu posse fieri, sese resolvit, inanis est fides, nec fidei nomine digna. De cætero verum est, DEum semetipsum ad media non ita alligasse, quin extra ea agere possit, sed utrum ita extra ordinem agere velit, ex mera revelatione discendum est. De voluntate enim DEI, in iis, quæ rationis nostræ captum superant, non potest ulla  
 S vel

vel conjectura vel scientia haberi, nisi ex verbo. Quod vero DEus extra ordinem velit infantibus gentilium fidem largiri, non potest ullis ex verbo argumentis, vel verosimilibus, doceri, nisi iisdem simul doceatur, velle etiam adultis inter gentiles moratoribus eandem fidem extra ordinem concedere; qui est reprobatus ab omnibus sanioribus Theologis in Zwinglio & Herberto error. Tamdiu verum hoc erit, donec idoneum pro solis infantibus gentilium argumentum in medium adducatur, quod certi sumus, fieri nunquam posse. Conferatur clarissimum testimonium D. Meisneri, §. LXVII. allegatum. Dices porro: Orationem parentum esse medium consequendæ fidei admodum incertum, cum parentes sæpe sint impii & precum pro infante, quamdiu geritur in utero, obliuiscantur. Ergo si ob orationis defectum pereant gentilium infantes, ob eandem rationem perituros plurimos Christianorum infantes; quod absurdum. Respondetur (1.) Nescio, an saluari tales infantes, etiam Christianorum, qui sine precibus vel parentum vel aliorum decedunt, affirmaturus sit Lutherus, cum omnibus Collegis suis, qui, referente Sekendorffio, supra citato, §. XXXII. dispensationem quidem aliquam circa infantes Christianorum *à Baptisibus* admisit, sed non sine magno **NOTA BENE**, ut ita loquamur, nempe: *Ita tamen, ut nomen Christi super illos invocetur & seriæ preces fiant*; daß ernstlich gebetet werde. Ex quo suspicetur aliquis, ubi hoc non fiat, persuasos fuisse Theologos illos, dispensationem locum non habere. (2.) Supponitur in objectione id, quod falsum est, quasi preces tantum parentum sint medium, quo fides liberis ipsorum obtineatur, cum intelligantur preces generaliter quorumlibet, parentum, propinquorum, vicinorum, Ecclesiæ. Ita D. Quenstedtius argumento tertio. Ecclesia vero in Litanis pro omnibus orat: Aller Menschen dich erbarmen. Nec excipi potest, orare etiam pro gentilibus, voce omnium contentis. Nam præterquam quod & alibi jam ad hoc respondimus, alia intentio orantis est, quando pro tota universitate

orat

orat, alia, quando pro domesticis suis. Aliter quoque se habet DEI misericordia erga omnes, aliter erga Ecclesiam suam, tanquam domesticos suos. Si precibus Ecclesiæ id ipsum pro infantibus gentilium obtineretur, quod obtinetur ejus precibus pro infantibus Christianorum, nulla prorsus reliqua foret inter utrosque liberos differentia, quam tamen Theologi, quotquot hanc quæstionem pertractarunt, agnoscunt. Si quis vir illustis, & in auctoritate positus, intercedat apud Senatam, ut huic vel illi civi suo, concedere veniam ætatis contra leges velit, atque ad hanc vel illam dignitatem illum evehere, facile id obtineri poterit, non item quando pro peregrino intercedit. Plura sunt argumenta, quæ prorsus singularem esse DEI erga Ecclesiæ suæ filios amorem coarguunt, non item erga gentiles, erga quos iram potius spirat & odium & indignationem.

§. LXXVII. Probatum V. *A judicio DEI, in Gentiles lato*, I. Cor. V, 13. *DEus eos, qui foris sunt, judicabit.* Inter eos, qui foris sunt & Gentilium sunt liberi: quod & concedunt plerique, qui adversam nobis tuentur sententiam. Opponitur autem hoc judicium DEI judicio Ecclesiæ, circa disciplinam Ecclesiasticam, ceu supra ostendimus, occupato. Ut adeo velit dicere Paulus: Vos scortatores, aliosque scandalosos, nisi pœnitentiam agant, ex cœtu vestro ejicite, neque quicquam cum iis negotii habete, v. II. In Gentiles vero, qui nihil ad vos, alio severiorique judicio DEus animadvertet: nempe *iræ & indignationis divinæ erga Judæos & Græcos*, Rom. II, 8. 9. Videatur supra Gesnerus & Tarnovius §. XXXV. & §. XXXIX.

§. LXXVIII. Probatum VI. *A differentia infantum Christianorum & Paganorum.* Quid enim amplius supererit discriminis, si utrique æque salventur? Constat vero I. Cor. VII, 14. *infantes Christianorum vocari ἁγιοι, Sanctos; Gentilium vero ἀναθαῖτες, impuros.* Non disputamus prolixè de hoc loco, sed assumpta communissima interpretatione, dicimus: si infantes Christianorum sunt ideo sancti, quia ad illos de jure quodam Ecclesiæ beneficia pertinent, adeo ut statim post

nativitatem ad illa per media ordinaria admitti possint; Gentilium vero infantes ideo sunt impuri, quia more Gentilium Vet. Testamenti non habent accessum, ut illi ad sacra Judæorum, ita hi Christianorum, quomodo salvari poterunt impuri? Quomodo, qui exclusi sunt a mediis salutis? Ad quem ex divino decreto non pertinent immediate media salutis, ad eundem nec salus ipsa, ut ex terminis statim intelligitur. Aut cur extraordinario medio succurrat DEUS infantibus gentilium; cita morte peremptis, non autem velit ceteris gentilium infantibus medio ordinario (quippe a quo tanquam impuri exclusi sunt) succurrere? Anne aliquid in cito peremptis invenit, quod non invenit in cæteris? Si dixeris, hos prævidere aliquando mansuros Gentiles, tum responderetur, & in cito peremptis tale quid prævidisset, si adolevissent. Et scientia hæc media ob eas, quibus premitur, difficultates ab ipsis autoribus suis deserta est. Aut anne DEUS magis misericors est erga unum in pari miseria jacentem, quam erga alterum? Conferenda huc sunt, quæ diximus §. LXX.

§. LXXIX. Probatur VII. *ab antiquæ Ecclesiæ regula*, ab hodierna Ecclesia approbata: *Extra Ecclesiam non est solus*. Sux enim Ecclesiæ, non alii cuicunque cœtui, claves regni cœlorum, quibus illi & aperiantur & claudantur, commisit Christus, Matth. XVI, 19. Conferantur Affelmanni nostri verba §. XXXVIII.

§. LXXX. Probatur VIII. *A condemnatione sententiæ contrariæ in Pelagianis*. Testatur enim Augustinus Epist. CVI. ad Paulin. Concilium Palestinum compulsisse Pelagium, ut anathematizaret: Infantes, etsi non baptizentur, habere vitam æternam. *Hac autem*, inquit Augustinus, *negata, quid nisi mors æterna remanebit?* Non dissimilia decrevere Concilia Carthaginense, Milevitanum & Florentinum, quorum verba producit Bellarminus, VI. de Amis. Grat. c. II. p. 577. seqq.

§. LXXXI. Probatur IX. *A consensu antiquorum Patrum*. Augustini imprimis, & qui post eundem vixerunt. Quo-  
rum

rum sententia cum extra dubium posita sit, verba non adferemus. Notanda interea cautela supra a nobis memorata §. XXIX.

§. LXXXII. Probatur X. *Ab autoritate librorum nostrorum Symbolicorum.* A quibus si hac in re recedimus, lata parata via est, ad abscessus in plurimis aliis libere licenterque faciendos. Videantur, quæ circa hoc negotium & argumentum diximus §. XXIX. Quod si regeratur: si per Augustanæ Confessionis generalia verba: *Peccatum originale damnat omnes, qui non regenerantur per Baptismum & Spiritum Sanctum;* excludantur gentilium infantes, eandem ob causam excludi quoque infantes Christianorum, qui sine baptismo decedunt; nam nec hos renasci per Baptismum & Spiritum Sanctum: tum respondeamus, negando hoc posterius. Quamquam enim per Baptismum non regenerantur, regenerantur tamen per Spiritum Sanctum, ardentissimis precibus specialiter invocatum. Juxta illud Servatoris: *si vos, pravi existentes, poteritis bona dona dare liberis vestris: quanto magis. Pater, qui in celo, dabit Spiritum Sanctum, petentibus ipsum?* Luc. XI, 13. Quibus cum destituantur gentiles, regenerari non possunt. Deinde non sequitur: A generali hac regula excipiuntur infantes Christianorum, ob rationes plurimas, in compendio a D. Quenstedtio recensitas, Part. III. c. V. Q. X. p. 166. seq. ergo etiam excipiendi sunt infantes gentilium, in quos vel nulla vel vix una alteraque omnium earum rationem convenit, immo quos ut excipiamus, plane nullam causam habemus. Non ideo, quia a generali regula: omnis homo est peccator, Christus excipitur, cujus rei causam manifestam habemus; ergo & excipienda est Maria, cujus rei nullam omnino causam habemus. Dices porro: Augustanam Confessionem loqui de iis, qui plane non regenerantur, non autem dicere, quod extraordinarie regenerari nequeant gentilium infantes. At ego merito regero: non quaritur, quid DEus extra ordinem facere possit, sed quid facere velit. Quod autem velit infantes

fantes gentilium excipere ab ordinaria isthac regula, nullibi revelatum est. Quod tot Theologos, supra allegatos, agnovisse videmus. Augustana Confessio dicit, hominem justificari per fidem: licetne hic interpretari & dicere, hoc quidem fieri ordinarie, non autem negare Augustanam Confessionem, quod DEUS nonnullos possit extra ordinem sine fide salvare? Non audet hoc quisquam Lutheranorum asserere.

§. LXXXIII. Probatur XI. *A recentiorum Ecclesie nostrae doctorum consensu.* Quem supra secundum annorum seriem longo ordine produximus. Nec ulla ratione dubitari potest, fuisse post B. Lutherum hanc quasi consentientem Ecclesiarum nostrarum doctrinam. Hoc nomine eandem insignire Tarnovium & Hülsemannum in superioribus audivimus. Quantumvis postea ab eadem fuerit ab aliquibus recessum, non tamen facile ita, ut priorem sententiam plane reprobaurent. Et sicubi nonnunquam aliam amplecti sententiam visi sunt, ita tamen eandem proposuerunt, ut subinde recurrerent ad veterem, eique palmam quasi deferrent, ceu subinde suis locis monuimus.

§. LXXXIV. Probatur XII. & ultimo *a periculo consequentia*, qua, si contrariam sententiam defendamus, promptissime utentur ex una parte Fanatici & Anabaptistæ, ex altera Sociniani & Naturalistæ. Quod Anabaptistas concernit, illi ideo infantes non baptizant, quia dicunt: *Nullos infantes, quicumque tandem sint, non habentes discrimen boni & mali, damnatos esse. Esse enim filios regni DEI omnes infantes ante baptismum;* apud D. Wigand. in Anabapt. p. 8. Quod quam affine sit ei sententiæ, quæ negat, nullum Gentilium infantum damnari, Theologi Wittebergici supra a nobis §. XXXII. adducti, agnoverunt, qui ideo ne quidem Christianorum infantibus, sine baptismo decedentibus, adscribere disertis expressisque verbis salutem voluerunt, ne viderentur, rem non satis intelligentibus, de Anabaptistarum errore, qui & infantibus extra Ecclesiam adscribebant salutem, quos ideo furentes vocat Melancthon

thon §. XXXI. lenius sentire, quam par erat. Nec minus sententia, quæ negat infantes Gentilium damnari, abuti hodierni Naturalistæ poterunt. Nec enim sufficiens ratio adferri potest, cur DEus Gentium infantibus in agone mortis extraordinaria gratia fidem infundat, non autem infundat in extremo vitæ ex adultis iis, qui vitam sine omni criminum labe in simplicitate cordis duxerunt, nec tamen adhibita quantalibet diligentia ad verbi auditum pervenire potuerunt. Qua de re diximus § LXII. & LXVIII.

§. LXXXV. His ergo tot tantisque fulcris cum sententia hæc postrema innitatur, calculum nos eidem & nostrum addere non dubitamus. Quo ipso tamen aliorum Theologorum, qui diversum a nobis sentiunt, (quamquam nemo eorum hanc ipsam sententiam nostram aperte rejiciat) opinioni nigrum Theta non præfigimus, sed pari, qua illi, libertate & modestia id, quod veritati nobis consonum videtur, judicamus. Plane enim subscribimus verbis venerandi Senis & celeberrimi Ecclesiæ nostræ Theologi, D. Jo. Deutschmanni, Antwort und Rettung, Part. II, Art. II. Th. V. p. 44. Ein anders ist von denen Haupt-Fragen der Augspurgischen Confession handeln, ein anders von denen Nebenfragen; wie dann dieses von denen kleinen Iuden- und Türcken-Kindern billig vor eine Nebenfrage gehalten wird. Wir lassen in der Furcht des HERren einen jedweden Theologum gar gerne bey seiner Meynung, verhoffen aber, daß keiner von denenselben uns zu derselben nöthigen, sondern auch uns bey wohlgedachter Freyheit lassen werde; und kan von dergleichen Fragen aus Heil. Göttlicher Schrift und denen Kirchen-Büchern ohne alle Bitterkeit, grossen Streit und schädliche Trennung, in lauterem Glimpff und Christlicher Bescheidenheit gehandelt werden.

SECTIO IV

Siftens

*Examiniſ & ſententiæ noſtræ uſum, tam Theoreticum  
quam Practicum.*

§. LXXXVI.

**C**UM itaque ex benigniſſima aſſiſtentiâ divina felicem noſtræ Diſſertatiſ colophonem tandem aſpicere contigit, placet adhæc, antequam eundem plane imponamus, aliquid de ejus uſu impræſentiarum commemorare. Conſtat etenim, Theologiâ noſtram & res in ea occurrentes non tam ſibi ſuiſque Muſis canere, quam & alienis, hoc eſt, ultimato actuſam atque practicam audire, atque licet quædam in ea reperiantur jucunde contemplabilia, ſemper tamen ex intentione Spiritus S. ad praxin eſſe referenda. Quare memores verborum nonnullorum ſupra memoratorum, quod non neminiſ judicio, *quæſtio hæc nihil ad praxin faciat*, atque adeo Theologia noſtra ea carere poſſit, non poſſumus non eandem tam quoad Theoriâ quam Praxin, brevibus licet, repræſentare, omnemque a nobis dicam, ac ſi in ſupervacuiſ & caſſa nuce inanioribus occuparemur, remove.

§. LXXXVII. Quoad *Uſum Theoreticum*, ſubinde in tractatione noſtra indicatum a nobis eſt, quæ veritates Theologicæ recta Scripturæque conformi Quæſtionis noſtræ deciſione confirmentur, roborenturque: quæ item hæreſes, qui errores per eandem rejiciantur, refellanturque. Confirmatur per eandem I. Doctrina de *Peccato Originali*, ejusque in oculis diviniſ fœditate, ſummaque abominatione. Quod cum in Veteri Eccleſia Pelagiani, in recentiori hujus ætatiſ & Calviniani & Sociniani & Arminiani & Anabaptiſtæ atque Fanatici, conjuncta quali opera extenuent, & corruptionem humanæ naturæ aut inficientur penitus, aut pro languore tantum naturæ habeant, qui neque mortem mereatur, neque damnationem; hic vero error in univerſum fere Theologiæ ſanioris ſyſtema ſeſe diffundat, dum eo regnante neque neceſſitatem

fatis-



satisfactionis Christi, nec gratiæ divinæ magnitudinem, nec atrocitatem peccatorum nostrorum, nec mediorum contra ea ordinatorum œconomiam, recte intelligere queamus, facile est animo comprehendere, quam necessaria sit ea doctrina, quæ veritatem hac in Theologici corporis parte stabilit, & tam varium adversariorum genus, Ecclesiæ nostræ infestum, ab eadem propellit atque refutat. Cernitur adeo affirmatione quæstionis nostræ oculis & mens Christiana certa redditur, Divinam veritatem & eam indubitatam esse, quam nos profiteri iusserunt majores nostri, *post lapsum nempe Adæ omnes homines secundum naturam propagatos nasci cum peccato, hoc est, sine metu DEI, sine fiducia erga DEum & cum concupiscentia; quodque hic morbus seu vitium Originis vere sit peccatum, damnans & afferens NUNC QUOQUE æternam mortem bis, qui non renascuntur per baptismum & Spiritum Sanctum.* Atque adeo majore confidentia, juxta eundem secundum Augustanæ nostræ Confessionis articulum damnare possumus *Pelagianos & alios*, qui a tempore exhibitæ Confessionis in immensum creverunt, & paulo ante a nobis nominati fuerunt, *qui vitium Originis negant esse peccatum, & ut extenuent gloriam meriti & beneficiorum Christi, disputant, hominem propriis viribus rationis coram DEO justificari posse.* Quid autem utilius esse potest, quam his erroribus obviam ire & veritatem, tam late usum suum diffundentem, tueri?

§. LXXXVIII. Confirmatur II. per eandem tractationem nostram *rigor divinæ justitiæ*, qui non potest ullum, quantumcumque id humanis oculis videtur, peccatum, sine exacta vel a peccante, vel a vade ipsius pœna, dimittere. Misit ideo DEus filium suum & per peccatum condemnavit peccatum in carne. Hanc satisfactionem, quisquis fide non acceptat, eum eo justius condemnat, quod condemnare antea juste poterat in peccata prolapsum. Quare Augustana Confessio non dixit tantum, peccatum Originis mortem & damnationem inferre, sed etiam eandem *ET NUNC inferre*, postquam nempe pro eodem

a filio DEI satisfactum est, dum satisfactio non fuit acceptata. Cumque hanc de justitia divina essentiali veritatem & Soci-  
niani inficientur, & ex parte Calviniani, qui error prona con-  
sequentia & ipsam Christi satisfactionem & universum salutis  
nostræ negotium, prout id in Scripturis revelatum est, subru-  
at & labefactet, imo Christianam religionem in religionem  
quandam naturalem & Philosophicam convertat, usum pro-  
fecto id eximium habeat oportet, quod veritatem in hoc ar-  
gumento Christianam statuminat & certiozem reddit.

§. LXXXIX. Denique III. per præsentem tractationem  
*Divinorum salutis mediorum Oeconomia & Dispensatio*, a DEO  
ordinata & præscripta, haud parum confirmatur. Ita enim  
divina sapientiã disposuit, ut thesauri illi divinorum benefi-  
ciorum, benevola salvandi totum genus humanum voluntas,  
pretiosum Salvatoris nostri meritum & propensa in salutem  
nostram Spiritus S. gratia, nonnisi per verbum nobis commu-  
nicarentur & Sacramenta; per fidem vero, tanquam manum  
quandam & instrumentum, acceptarentur. Hæc ubi locum  
non invenerint, nec fructum habere beneficia illa nobis obla-  
ta possint, sed qui iisdem destituatur, in morte & damnatione  
æterna maneat, necesse sit. Ita enim denuo quintus Augu-  
stanæ nostræ Confessionis articulus: *Ut hanc fidem consequamur,*  
*institutum est ministerium docendi Evangelii & porrigendi Sacramen-*  
*ta. Nam per verbum & Sacramenta donatur Spiritus Sanctus, qui fi-*  
*dem efficit, ubi & quando visum est DEO, in iis, qui audiunt Ev-*  
*angelium, scilicet, quod DEUS non propter nostra merita, sed pro-*  
*pter Christum justificet hos, qui credunt se propter Christum in gra-*  
*tiam recipi.* Hanc mediorum ex parte DEI & hominis ne-  
cessitatem, cum, iudice eodem Augustanæ Confessionis arti-  
culo, negent *Anabaptistæ & alii* (sunt hi Calviniani) qui sen-  
tiunt Spiritum S. contingere sine verbo externo hominibus, per ipso-  
rum *præparaciones & opera*: quibus postea accesserunt Pucciani,  
Zwinglii hyperaspistæ, Herbertiani, Bodinistæ, Chauvinistæ  
& tota Naturalistarum, amplissimæ hodie religionis, cohors,  
qui

qui sine fide, sine verbo, sine Sacramentis, conferri a DEO gratiam non infantibus Gentilium solummodo, sed & adultis, qui secundum legem naturæ vixerunt, magno molimine simplicioribus persuadere satagunt. Quæ opinio cum naturalis hominis menti facillime illabatur, in eoque semel concepta, firmas agat radices, & proh dolor! hi vix semi Christiani totum propemodum orbem, aulas imprimis, curiasque ubique occupent, non poterit non de religione vere Christiana bene mereri, qui hæc carcinomata pia severitate infectatur, & veritatem iis oppositam ex immotis sacrarum literarum fundamentis corroborat. Quibus omnibus ea addi volumus, quæ in præmio hujus dissertationis paulo prolixius disputavimus.

§. XC. Quoad usum practicum deducimur tractatione nostra in adorationem divinæ justitiæ, tremendique adversus peccatum judicii. Sanctus DEUS est, nec ulla in eo macula, quare naturæ quadam necessitate quorumlibet peccatorum immunditiæ succenset. Ardet ira ejus adversus peccata & consumit usque ad profunditatem inferni. Non æstimemus DEUM, sicut hominem, qui peccantibus, peccatis ipse multis obnoxius, peccata condonare potest. Non potest DEUS, nisi injustus esse velit. Si rigidum & crudele hoc nobis apparet, peccati aliquam labem etiam in infantibus gravi supplicio puniri, reverentissimo stupore correpti os nostrum occludamus, dicamusque: *O altitudo!* Rom XI, 33. Justus es, Domine, & dum omnes homines sunt injusti, justa sunt judicia tua! Deducimur porro tractatione nostra in fugam & abominationem peccatorum nostrorum. Si DEUS ob alieni peccati malitiam, in infantes a Parentibus derivatam, qui ob ætatis immaturitatem discrimen ignorant inter dextram & sinistram, tam atroci supplicio animadvertit, quid nobis fiet, si adultiores facti mala cognoscimus simulque facimus? Si naturæ defectui, quem exuere non poteramus, addamus voluntatis malitiosæ petulantiam? Quis non horreat peccare deliberato animi consilio, si tantum supplicium involuntarium attrahit peccatum? Cujus mentem non

perterrefaciat Salvatoris nostri memorialis gnome: *Si in bumido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. XXIII, 31. Tandem & præsentis argumenti consideratione deducimur *in sollicitudinem & curam, mediis a DEO ad accendendam roborandamque fidem constitutis utendi.* Si enim Gentilium infantes ideo perire necesse est, quia media ipsis in promptu non sunt, parentum maxime culpa, quibus fides in ipsis generari poterat, quanto studio cavendum nobis est, ne per eandem negligentiam, vel prognatis ex nobis liberis exitium attrahatur, vel ipsamet nostra negligentia pœna olim æterna puniatur. Imprimis vero eo annitendum nobis omnibus viribus est, ut verbi divini doctrinam, qua Sacramenta involvuntur, puram illibatamque conservemus, ne ea corrupta vim suam & ipsa Sacramenta amittant, id est, Sacramenta esse desinant. Quare perpetuis a DEO patre per Christum suspiriis precemur: *Conserva & sanctifica nos, Domine, in veritate, verbum Tuum veritas est, Job. XVII, 17.*

§. XCI. Poterant alii longe plurimi usus recenseri, si diffusiori nos involvere operæ, quæ jam præter spem excrevit, placeret. Enarrati vero ejus momenti ponderisque sunt, ut quemlibet, citra affectum judicantem, argumentum a nobis petratatum non parum facere ad praxin, pronuntiaturum esse confidam. DEO igitur, qui elegit nos & ad Ecclesiam vocavit suam, in qua salvari æternum queamus, pro immenso hoc beneficio sit immortalis laus & gloria, in seculorum secula.

---

DISSERTATIO JURIDICA

**De Milite Desertore, quam in alma universitate Rostochiensi, sub Præsidio D. JOH. JOACH. Schöpffers, ad diem 29. Octobr. A. 1698. in Auditorio Majori, publicæ eruditorum Disquisitioni submittit Autor JACOBUS HENR. ZERNECKE, Thoruniensis Prussus.**

Inclu-

Inclutæ Reipublicæ Thoruniensis Splendidissimo

Ordini Senatorio :

ILLVSTRI DOMINO

BURGRAFIO REGIO,

Per - Magnifico

D N. PRÆSIDI,

Magnificis, Generosis, Consultissimis, Maximeque Strenuis Dominis,

DNN. PRÆ-CONSULIBUS,

CONSULIBVS,

Nec non Amplissimis, Consultissimis, atque Spectabilibus,

DNN. SCABINIS.

*Viris longo rerum Gerendarum usu maximis,*

PATRIÆ PATRIBUS,

Dominis atque Patronis meis summis, tenuem hanc exercitationem Academicam, in Jure Primogenitam, horum illustrium nominum sacram, confecro.

**M**ILES hic meus DESERTOR, desertorio atque fugitivo calamo enixus, ad VOS, PATRIÆ PATRES, ipse fugitivus confugit: Personatus is personam Patris sui in fronte gerit. Miles ego Musarum militiæ meæ qua Togatæ, qua Sagatæ constantiam, in ipsa desertione constantissimam, VOBIS commendare audeo; ast vereor, ne per hanc constantiam inconstantem prodam meam mentem, miles enim desertor, re, tituloque jam audio. Si dulcis est recordatio præteritorum, læta quidem Vos semper fronte, mea in Togata adhuc militia militantis trophæa, de hostibus Quakeris, sub signis Schelguinianis parta, VOBISQUE consecrata, excepisse memini, memini Vos Sagatos Togatam hanc meam prædam minime aspernatos fuisse, sed memini quoque constantiam tum temporis haud temporariam a VOBIS mihi inculcatam fuisse,

quæ jussa etiam Vestra vere paterna, summo implere studio per-  
 rexi; Miles namque Togatus, Lipsiacis in castris, constanter au-  
 dibam, imo hic ad Varnum, eadem castra metatus militis To-  
 gati constantissimi nomen asservare semper studui, præsertim  
 cum a Præfectibus militiæ Sacræ ad Togata, hoc est, sacra munia  
 obeunda provocarer; Verum enim vero cum pugnam per disser-  
 tationem qualemqualem de infantibus Gentilium sub umbo-  
 ne Fechtiano incluto meditarer, quin & eandem, DEO duce,  
 felicissime transmitterem, en! jussu Superiorum desertor To-  
 gæ, Sagi Pallique scrutator exstiti, hincque militis desertoris  
 nomen ab omnibus mihi inussi, imo plerisque acrior Galea-  
 rum quam Tiaræ defensor & amator apparui, sed apparui  
 duntaxat, revera enim utriusque militiæ veneratio alto mihi  
 inscripta fuit pectore. Sed quonam VOBIS, VIRI MAGNI-  
 FICI, nomine denominandus nunc veniam? Dicam ceu ha-  
 riolor, Militis desertoris pariter atque inconstantissimi. Non  
 diffiteor nomen, sed absque proæresi in me derivatum: Pu-  
 blici instar testis chartaceum hocce instrumentum eodem ti-  
 tulo insignitum exstabit, me scilicet desertorem Togæ, hoc  
 est, Legum Sacrarum non tam esse, quam videri, utpote, quæ  
 semper imis infixæ erunt medullis, quasque amor ferventissi-  
 mus Sagi, hoc est, Legum Civilium optimo sibi conjungere  
 sciet vinculo. Proinde nec fidelis desertoris nomen hac vice  
 detrecto, miles adhuc in castris Musarum, imo in ipsa desertione  
 constantissimus existens; Nec pœnam, si quam eo ipso incur-  
 ri, deprecor, sed eandem quam militibus desertoribus secun-  
 dum leges ipse dictitavi, a VOBIS quoque, PATRES CONSCRIP-  
 TI, mihi assignatam exosculabor. Curate suspendi me me-  
 umque militem desertorem non ad æthera, sed in animo  
 Vestri Patrocini atque reminiscentiæ, famamque meam tenu-  
 em bonis exponite avibus; vel, si mavultis, ad ipsum disser-  
 tationis meæ tenorem, in hoc delicto, pœnam imponere mi-  
 tiorem, relegate militem meum desertorem ad munitissimos  
 Bibliothecæ Vestræ carceres, meque ad æternas servitiorum  
 com-

compedes condemnate, ut sim re ipsa in omni officiorum genere, Vester miles, in ipsa desertione fidelissimus

*Cliens devinctissimus*

JACOBUS HENRICVS ZERNECKE.

I. N. J.

PROOEMIUM.

**S**ummam Reipublicæ tuitionem de stirpe duarum rerum, ar-  
 morum scilicet atque legum, provenire, Divus Justinianus,  
 divalibus suis constitutionibus ex merito confirmat.  
*Constit. Summa. pr. de Justin. Cod. confirm.* Enim vero  
 totum hoc unversum vel pacis vel Belli fama undiqua-  
 que circumsonat, atque hinc duorum diversissimorum statu-  
 tum nomina nobis demonstrat, quorum pacificus alter, alter  
 bellicosus audit: Uterque Legibus inædificatur, Leges armis  
 condecorantur & muniuntur, arma militari concomitantur  
 justitia, & hæc fulcimen Reipublicæ semper existit inconcussum.  
 Quodsi jam huic militari justitiæ, quam toties in Patria dul-  
 cissima exercitam fuisse, ex privatis audivimus novellis, per  
 præsentem tractationem litare vellemus, ad exercendas tenu-  
 es ingenii nostri vires, non operam in tricis vel apinis collo-  
 caturi videbimur, si illorum, qui Bellonæ castra sequuntur  
 partim splendida collata privilegia fugitiva duntaxat animi  
 lance consideremus, ( quas plena, quod dicitur, manu nobis  
 porrigunt atque suppeditant toti tituli ff. & C. de testam. mi-  
 lit. l. eodem. l. 18. ff. de re judicaz. l. 6. §. 1. ff. quib. ex caus. in poss.  
 eat. l. 3. C. de Vectigal. l. 9. §. 1. ff. de Jur. & fact. ignorant. l.  
 penult. C. quando provoc. non est necesse, l. 8. C. de Quæstion. quo-  
 rum summam & integram spheram exhibet Enenkel Baro de  
 privilegiis militum, Claudius Cotterus tract. de jure & privile-  
 giis militum, aliique. ) Partim quoque severissimas coarctatio-  
 nes, imo rigorosissimas animadversiones in proclives horum  
 privilegiorum abusers latas, remissive perlustremus, quas to-  
 to mo-

to modio nobis offert Doctissimus Joh. Frid. Schultzen *in corpore Juris militaris* passim. Tanta enim tamque varia & enormi intellectus perversitate, pariter atque voluntatis depravatione laborare post lapsum cœpit humana imbecillitas, ut in concessis exuperare, in coarctatis desperare rebus non nesciat mens nostra: Atque hinc, quid mirum, quod & illos eadem fata tangant, qui militiæ nomen dedere suum. Veneranda ergo nobis æternum venit circumspecta Legislatorum sedulitas, quod inter arma leges, alias silentes, silere tamen haud permiserit, sed sanctissimæ sanctioni exactissimam illico tuitionem & executionem addere semper annisa fuerit, hincque privilegiis militum latissimis coangustatos apponere terminos minime dubitarit, ut hoc modo qua Scylla libertatis indomitæ, qua Charybdis vitiorum late grassantium felicius & citius evitari possent. Equidem hos omnes vitiorum scelerumque scopulos atque Syrtes, quibus effrœne sapius militum ingenium illidat, longa enarratione impræsentiarum sistere supersedebimus unicum duntaxat Desertionis scelus ejusque foeditatem atque coarctationem pro ingenii modulo Exercitatione quadam Juridica, in lucem emittere publicam allaborabimus, non tam ad affectus nostros delectabundos, quam effectus illius singulares & justissimos, aliaque circa id observanda, declarandos. Quod ut exoptatius procedat, efficacissimum SS. Trinitatis auxilium, ardentissimis imploro precibus atque suspiriis, Tuam autem, Benevole Lector, facilitatem in condonatione errorum, præsertim juvenilium, & lapsus ingenii, fallor an in propylæo quinquennii Juridici, an in postico cursus ejusdem studii, dicam utrumque, constituti, indubitanter mihi spondeo atque stipulor.

CAPUT I.

De milite Deserto in genere.

SUMMARI A.

*Verbalis definitio præmittenda re-* | *Ætymologia militis n. 3. 4. & 5.*  
*ali n. 1. 2.* | *Homonymia n. 6. 7. 8. 9. & 10.*

*Synony.*



<i>Synonymia n. 11. 12. &amp; 13.</i>	<i>Hinc alii dubitant, an bodierni milites privilegio militum antiquorum gaudeant. n. 33.</i>
<i>Definitio Militis. n. 14.</i>	<i>Affirmativa verior. n. 34.</i>
<i>Mercedis acceptio non ad essentiam militis spectat. n. 15. 16.</i>	<i>Quod exemplis variis illustratur. n. 35.</i>
<i>Illustratur exemplo Romanorum &amp; Polonorum n. 17.</i>	<i>Desertoris etymologia. n. 36.</i>
<i>Nec juramenti præstatio n. 18.</i>	<i>Vox deserere varie occurrit. n. 37. 38. 39.</i>
<i>Voluntarii milites, vulgo Volontaires nomine &amp; jure militum gaudent n. 19.</i>	<i>Ut &amp; vox desertoris. n. 40. 41.</i>
<i>Nisi (α) animo decipiendi in lustratione se sistant n. 20.</i>	<i>Hodie maxime malitiosus conjugii desertor celebris est. n. 42.</i>
<i>(β) Sine consensu ducis coëant vel prædentur. n. 21.</i>	<i>Observanda circa hunc. n. 43.</i>
<i>(γ) Sint Colones. n. 22.</i>	<i>In specie nobis denotat militem desertorem. n. 44.</i>
<i>Consilarii, Sacerdotes, Medici, &amp; c. bellici, nomine &amp; jure militum gaudent. n. 23.</i>	<i>Differt tamen ab emansore. n. 45. &amp; transfuga. n. 46.</i>
<i>Varie dividuntur milites. n. 24. seq.</i>	<i>Germanis, Gallis &amp; Polonis quomodo vocetur. n. 47.</i>
<i>Melitenses an nomine militum veniant? n. 30.</i>	<i>Desertor describitur. n. 48. 49. 50.</i>
<i>Milites legi non possunt sine consensu superioris. n. 31.</i>	<i>Ut &amp; desertionis crimen. n. 51.</i>
<i>Militia olim erat necessaria, bodie voluntaria. n. 32.</i>	<i>Dolus desideratur. n. 52.</i>
	<i>Non præcise signa requiruntur. n. 53.</i>
	<i>Transitus ad caput secundum &amp; tertium. n. 54.</i>

**M**ethodi receptas leges negligere, atque hinc inscitæ notam incurrere merito viderer, si illotis, quod ajunt, maribus in limine statim disputationis, ipsam tractationem aggrederer, absque præmissa verborum cognitione atque evolutione. Videlicet conchas negligens, in margaritas vix incidet, & absque remotione putaminum nuclei saporem raro degustabit; Simili ratione nominibus prius probe perspectis,

- demum rei penetralia penetrare mihi integrum erit, cum nominum consideratio sit principium omnis cognitionis *arg. l. 1. pr. ff. de J. & J. Conferantur L. 1. pr. ff. de rebus credit. L. 1. pr. ff. de acqu. vel omitt. poss. L. 1. pr. ff. de furtis. L. 1. §. 1. ff. de Pact. L. 49. ff. de verb. sign. aliæque plurimæ.* Quare me merito ad
3. expositionem primo Termini *Militis* accingo, qui derivatur vel a *militia* i. e. duritia, vel a *multitudine*, vel a *malo*, quod arcere solent milites, vel a *numero mille hominum*, quasi *millesimus* & inter mille lectus, quemadmodum Ulpianus dubius ipse atque anceps in *L. 1. §. 1. ff. de test. milit.* disputat, cui postremæ quoque sententiæ subscribere idem JCtus videtur, ditius eidem inhærendo, quam cæteris, & novissime eandem constituendo per *arg. L. 10. pr. vers. potius enim hoc ff. de acqu. vel omitt. poss.* Varoni dicitur a *malitia* miles *Vid. Gothofr. not. ad d. L. 1. §. 1. ff. de test. mil.* quas tamen derivationes, maxima ex parte, lusus ingenii docti, quam vera *ετομα* recte dixeris.
  5. His non immerito jungimus duas alias facetosas a Doctissimo Knichenio Operi Politico insertas, quod scilicet miles dicitur quasi *mira res*; vel a *milio*, cui milites in Franconia salaci inhiare solent ore.
  6. Huic ancipiti autorum variantium Originationi, si acceptiones quoque alias aliorum, de hac voce, in aliis disciplinis occurrentes jungamus, non a recto mens calamusque noster deviabit tramite. Unam nobis ipsa *Theologia* suppeditat, in qua, præeuntibus Sacris Pandectis, omnis Christianus *miles* dicitur, qui occupatus in perpetua militia contra Diabolum ejusque cohortes, de jure hoc nomen sortitur per expressum textum *II. Cor. X. v. 3. seq.* Adde, quod ipse Apostolus Paulus Timotheum suum, bonum atque strenuum Jesu Christi militem vocitet *II. Tim. II. v. 3.* quam in Originali textu occurrentem vocem *στρατιώτης* Beatus quidem Lutherus vertit *Streiter*, ista tamen hic versio Synonymicam cum voce *Soldat* s. *militis* semper agnoscit significationem. In specie vero Clerici sibi hoc arrogant nomen, scilicet quod sint milites Christi
  - 8.

*c. degradatio 2. de Penis in 6. Milites Ecclesiæ c. Salvator. 8. Caus. I. quæst. 3. adde c. reprehensibile 19. Caus. XXIII. quæst. 8. In Politica 9.* rursus dupliciter sumitur miles, pro milite tam Sagato sive armato, quam Togato, sive eo, qui pro Patria ore vel scripto pugnat, contra hostes, similibus armis insurgentes. Ex qua pugna vel miles Togæ strictè sic dictæ audit, cum contra inimicos spirituales desudat, vel Pallii, in civilibus & profanis negotiis militiam suam exercendo; uterque miles Musarum dicendus, si majoribus iisque illustrioribus mediis suam togatam adaugeat fortitudinem: Atque cum ista politica divisione jus<sup>10.</sup> quoque nostrum amicam semper trahere videtur manum, sistens nobis eundem Togatum militem in *L. 14. C. de Advocat. div. Jud.* Armatum vero in *L. 18. ff. de re Judic. L. 1. C. de jur. & facti ignorant L. 4. C. qui dar. tut. poss. &c.* quin & in toto Pandectarum titulo *de re militari*, cui etiam ultimæ significationi, in nostra hac dissertatione, omnis concedetur usus atque locus.

Consonantes huic voci quod concernit terminos, illos<sup>11.</sup> non in multis adeo consistere videmus expressionibus, nisi quod aliquando dicatur Miles etiam *Vir Castrensis*, ab ipso castrensi peculio hac denominatione petita, qua detestatur *Tit. ff. & C. de Castrens. pecul. Cinctus* aliis appellatur, ceu de *Jure Cinctorum singulari* Anno 1695. disputatio Rostochii est habita sub præsidio Consultissimi DNI D. Sibrandi. Nonnunquam *Vir Sagatus* audit, in oppositione viri Togati, uti ex superioribus patet. *Militares* sæpius pro militibus sumi *L. 20. & 21. Cod. Theod. de erog. annon. milit.* testatur. In Jure Feudali Miles & Vasallus pro Synonymis habentur *1. Feud. 22.*

Germanis dicitur Lands-Knecht, Kriegs-Knecht, Soldat,<sup>13.</sup> a qua ultima voce feudum Soldatæ *2. Feud. 10.* originem trahere suam a nonnullis asseritur; Alias aliorum allusiones termini Germanici Soldat, atque opiniones enarrat Speidelius in *speculo verb. Soldat.*

Nos ulteriorem mittimus verbalem, verbi hujus, explica-

- tionem inanem corticem iis rodendum, quibus vocabularios excitare tumultus gloriosum semper fuit, realem potius rimabimur Militis evolutionem, quæ consistet in rotunda ejus descriptione, præeunte Lege *L. 42. ff. de testom. Milit.* scilicet, quod miles proprie dictus sit *is, qui ab eo, qui jus habet bellum gerendi, in militiam lectus, atque in numerum relatus est, ad operas bellicas præstandas.* Germanis communiter dicitur: *der da geworben, auff den Muster-Platz geführet, und in gewisse Compagnien eingestellet ist, juxta Commentarium Juris atque Legum Consultissimi inque Paternis oris Celebratissimi*
15. Jcti Dn. Hoppii *pr. Inst. de testom. milit.* Quam ejus descriptionem cum nonnulli angustiarum incusare, sed absque justa & solida causa, conentur, supplementi loco addunt: *Sub armata militia stipendia meret; existimantes cum Voëtio de Jure milit. p. 55. ad militem vere talem etiam illud de necessitate*
16. *requiri.* Sed quam incongrue & ex abundantia hoc adjiciatur, ex eo ad fatietatem usque constat, scilicet quod Evocati apud Romanos, qui signo duntaxat vel jussu superiorum, ad expeditionem bellicam invitabantur, militum vere sic dictorum sub nomine semper venerant, licet sine ulla stipendiorum erogatione sparta hac martiali defungerentur.
17. Quorum similes propriis sumptibus militantes adhuc hodie in Polonia reperiuntur milites, si *Generalis motio* (quam genius Regni *Polipolite Ruzenie* appellat) hostibus terram inundantibus instituitur, in hac enim generali motione totus Equestris ordo, ad bellicam expeditionem, sine ullis stipendiis convolare, Patriæque in his maximis periculis, suismet impensis subvenire tenetur; Qua de conferatur Beatus Hartknochius, Præceptor quondam fidelissimus, sed nostro & omnium literatorum dolore præmaturis fatis ereptus, in sua *Republica Polonica lib. 2. c. 8. n. 1. p. m. 846.* Hos omnes sicut propria animi inductione propriisque sumptibus militiæ sese offerre videmus, ita neminem fore adeo credulum existimo, qui autoritate Voëtii captus atque persuasus, eos a communi militum nomine excludat, licet

cet operas suas martiales in bello contra hostem ingruentem gratis & ex heroico quodam animi impulsu collocent.

Communiter etiam alii desiderant, ut jurisjurandi reli-<sup>18.</sup> gione sit constrictus, si militis nomen ejusque privilegia mereri velit. Vid. Dn. Hoppius *Comment. ad Inst. pr. de testam. milit.* Ernest. Theoph. Mayerus *Comment. ꝯ. ibidem, sub voce: a milite.* Struv. *ad ff. de re milit. ib. 41.* Sententiæ suæ fundamentum in *lege 42. ff. de test. milit. L. ult. de re milit. L. 2. ff. de Veteran.* ponunt, quæ tamen leges partim nihil probant, partim enarrative duntaxat, non dispositive rem proponunt; quisque enim vere miles jam esse incipit, cum in numerum relatus est, *d. L. 42. ff. de test. milit.* nach dem er der Rolle einverleibet; perinde ut studiosus de jure audit is, qui matriculæ, etiam prætermisso juramento, insertus est, ceu luculentum asserti hujus præjudicium immatriculatio Nostræ Academiæ sistit, in qua hæc sine juramento, sola stipulata manu, peragitur; Accedit quod juramentum nihil novi constituat, sed fidem duntaxat jam datam confirmet.

Ex dictis facile liquet, eos quoque, qui ex liberrima vo-<sup>19.</sup> luntate, nullaque impulsu necessitate, turmam sequuntur militarem, quosque seculum nostrum Volontaires nuncupat, sub nomine militum proprie sic dictorum hic venire, modo eos intelligamus, qui vel certis sub signis militaribus stant, vel omnia ex consilio supremi Ducis gerunt, quos omnes tantum abest, ut titulo militis privemus, ut potius omnibus militaribus privilegiis exornandos esse velimus, hinc etiam ipsum jus condendi testamentum militare ipsis de jure assignamus. Conf. omnino Excell. Dn. Præsidis *Synopsis ad ff. rit. de testament. milit. n. 3.* Aliud dicendum de iis *Voluntariis*, qui animo de-<sup>20.</sup> cipiendi principem, in ipsa lustratione, se sistunt tanquam milites, ad perpetuam militiam lecti, sed in ipsa pugna iterum pro lubitu recedunt, quos Christiani IV. Königl. Majestät von Dennemarck Krieges-Artickels-Brieff *art. 92.* a signis procul esse vult ibi: bey keiner Compagnie sollen einige Volontai-

- res Pferd oder Volck als gemustert und in Diensten ist, zuge-
21. lassen und gelitten werden. Eandem sententiam ferri volumus de iis, qui prædæ causa coëunt sine consensu principis, vel supremi Ducis, & sæpe non tam hostes, quam amicos sociosque invadunt, quos hodie vocamus *errones & circumforaneos*, Schnaphäne, Gartirer, Hüner-Fänger, Frey-Reuter und Herren-lose Knechte, quique titulo non militis, sed latronis & prædonis quam dignissimi sunt, & de quibus *l. 24. ff. de Captiv. & Postlim. & L. 118. de V. S.* intelligimus. Talia inutilia terræ pondera Reformatio guter Policey zu Augspurg *de anno 1548. tit.* von Herren-losen Knechten 7. It. R. A. zu Augspurg *de anno 1555. §.* und setzen demnach 34. & multis seqq. Policey-Ordnung zu Franckfurt *de anno 1577. tit.* von Herren-losen 7. absque ulla sententia declaratoria banno submittit imperiali. Adde quod principes Imperii, si ejusmodi latrones in provinciis eorum inveniuntur, ferro & igne in illos animadvertere jubentur *in ord. de Pac. Publ. de Anno 1521. ff. von denen Einspenigen Knechten.* Conf. Gail. *de pace publ. lib. 1. c. 4.* Eckold. *Comment. in ff. tit. de Castr. pecul. §. 2.* Cui classi jungimus vulgo *Calones* dictos, die Tros- und Furagir-Jungens, ut & mulieres meretricias, aliosque inutiles exercitus asseclas, qui pariter quoque omnes & nomine & privilegiis militaribus indignissimi sunt. Ernest. Theoph. Mayer. *Comment. in J. de testam. milit. p. 499.* Eckold. *Comment. ad ff. d. l. §. 2.* & a vexillis martialibus juste relegantur in Articuls-Brief auf die teutsche Knecht. Maximil. II. zu Speyer *de Anno 1570. art. 68.*
23. Verum enim vero secus judicandum de Consiliariis, Concionatoribus, Medicis & Chirurgis bellicis, von denen Krieges-Räthen, Feld-Predigern und Feldscherern: Item de Secretariis, iudicibus castrensis, die Auditeures; Mercatoribus Viſtualium, Marquetennern, Commis-Metzger, Fahnen-Schmiede &c. qui omnes sicut jussu ducis exercitum sequuntur, ita iisdem militum privilegiis gaudent, militumque sub nomine venire solent. Vid. omnino Finkelthaus *obs. 46. n. 16. seqq.* Ernest.

nest. Theoph. Mayer *Comment. d. l. p. 499.* Struv. *Exerc. 34. th. 4. vers. extenditur* Dn. Hopp. *Comment. J. pr. de testam. milit. alique.*

Genera quod attiner Militum illa, in jure nostro depre- 24.  
henduntur varia, ab officiis obeundis præsertim desumpta.  
Imperator in *L. 17. C. de re milit.* eadem distingvit (α) in 25.  
EQUITES & PEDITES, quibus jungamus & MIXTOS, vulgo  
VELITES dictos, de quorum origine agit *Livius lib. 26. c. 4.*  
*Val. Max. lib. 2. c. 3.* & quos seculum nostrum TRAGONES  
appellat, die Dragoner, de quibus confer. Mallet. *de Archi-*  
*rect. milit. part. 3.* His & hodie aliæ species accedunt, quas re-  
censet Strauchius *Diff. IX. de success. testam. §. 30. ibique allegati,*  
quibus addimus die Granadirer, Grand-Musquetirer und Tra-  
banten. Conf. Excell. Dn. Præses in *Synopsi ff. de re milit. n. 2.*  
(β) In NAVALES seu CLASSICOS *L. 1. §. 1. ff. de honor. poss. ex 26.*  
*testam. milit.* Grotius *de J. B. & P. Lib. 3. c. 21. §. 15.* & TER-  
RESTRES. (γ) In EMINENTIORES sive TRIBUNOS (Offi- 27.  
cierer) *L. 12. §. 2. ff. de R. M.* & INFERIORES sive GREGA-  
RIOS (Gemeine) *L. fin. C. de milit. Vest.* (δ) In TYRONES 28.  
*tot. tit. C. de Tyron. L. 14. §. 1. ff. de R. M. L. 4. §. fin. ff. Eodem.*  
Germanis Schillerer, quasi Schüler, qui nondum in numeros  
relati, immunitates nec adipiscebantur *L. 42. ff. de testam. mi-*  
*lit.* nec iis tuto custodia committebatur *L. 14. pr. ff. de cust. &*  
*exhib. reor.* (ε) VETERES & VETERANOS, de quibus *toti ti-*  
*tuli ff. & Cod. de Veteran.* agunt. Conf. Lauterb. *Comp. d. tit.*  
*J. Lipsius de milit. Rom. L. 1. Dialog. 8.* Hi Veterani etiam EME-  
RITI dici possunt *arg. L. 4. C. de mancip. & Colon.* Addere  
nonnulli solent (ζ) illos, quos STATIONARIOS appellamus, 29.  
sive eos qui ad agendas excubias in munitissimis urbibus & ca-  
stellis disponuntur, die in denen Guarnisonen liegen, & quo-  
rum mentio injicitur in *L. 4. ff. de fugitiv. rubr. C. de curios. &*  
*Stationariis L. 1. §. 12. de Off. Præf. urb.* LIMITANEOS, qui in  
limitibus & finibus regionum ad arcendos hostium excursus  
excubias agunt, die auf denen Gräntz-Häusern liegen, de qui-  
bus

bus *L. 2. §. 8. C. de Off. Præf. Præt. Afric. L. ult. C. de Off. milit. Judic.* & illos, qui in EXPEDITIONE constituti sunt, sive, qui in procinctu stant cum hoste congregari, aut etiam congressui appropinquant, die auf denen Feld-Zügen oder Feld-Schlachten begrieffen sind; Omnibus enim hisce enarratis militum generibus definitio supra collocata convenit, quam etiam ad omnes alias species prætermittas applicandam esse volumus.

30. De MELITENSIBUS Equitibus ( von denen Maltäser Rittern ) an nomine militum veniant, aliqui dubitant. Vid. Fabritium *ad Mysingerum cent. V. obs. 48.* ubi plures Doctores in utramque partem adducit. Nobis affirmativa hujus quæstionis decisio arridet cum eodem Fabritio *d. l. & Strauchio Diff. IX. tb. 30.* modo reuera sint milites, & non titulum tantum & fructus reddituum percipiant, ut hodie frequenter fieri solet. Conf. de his, aliisque variorum ordinum equitibus
31. Reyher. *in thesauro Juris. voce: Eques.* Præterea patet ex definitione superius n. 14. apposita milites legi non posse, nisi ab eo, qui jus belligerandi habet; sin vero privatus sine consensu superioris militem legat, crimen læsæ majestatis committere dicitur *L. 3. §. Eadem lege ff. ad L. Ful. Majest. ibique Brunnem. N. n.* Conf. omnino Petr. Theodorici *Judicium Criminal. c. V. aph. 4. n. 1. seqq.*
32. Jure quidem Romano militia ut plurimum erat necessitatis *L. qui cum §. 4. ff. de Re milit.* sed hodie apud Germanos aliud obtinet. *Struv. Exerc. L. tb. 41.* Competit tamen jus sequelæ, quod est potestas summi principis, cogendi omnes cives, ut armati sequantur principem, quo hostem a finibus suæ Reipubl. propellant. *Rhetz. in J. Publ. lib. 2. tit. 2. §. 25. Wehner. observat. Pract. voc. Folge. Knichen de Jure territor. C. 3. n. 245. 361. Limnæus de Jure publ. L. 4. C. 8. n. 245. Besold. thesauro pract. voce Folge, aliique,* quo casu ne sacerdotes quidem exempti sunt a sequela, per *cap. 2. X. de immunit.*
33. Hinc dubium moveri posset: An nostris militibus privilegia



vilegia militum adhuc competant, cum hodie ex liberrima voluntate, pro certa mercede, operas bellicas subeant; cujus negativam equidem tuetur Thesaurus *decif. CXI. n. 5.* Lucas de Pen. *Lib. fin. Cap. de erogat. milit.* M. Anton. Peregr. *de Fideicommiss. art. 3. n. 61.* Joh. Vinc. Honded. *Consil. 83. n. 95. Vol. 1.* Verior tamen & magis recepta est contraria sententia, quod hodierni milites iisdem gaudeant privilegiis Mev. *part. 4. decis. 229. n. 4.* Gail. *lib. 2. obs. 118. n. 2.* ibique Grævæus *Concl. 118.* Harprecht. *ad. pr. F. de milit. testam. n. 4. seq.* Sic hodie adhuc competit beneficium competentix militibus Nicol. *in Processu part. 3. c. 5. n. 14.* Nec hodie miles ultra vires hæreditatis obligatur, licet hæreditatem sine inventario adierit. Mev. *Consil. 31. n. 52. seqq.* Nec hodie milites arrestare licet Mev. *de Arrestis c. 8. n. 104. seqq.* & appellatio militis recepta, licet solenni formula non fuerit conscripta Mev. *part. 1. decis. 150.* Hodienum quoque jure militari testari potest miles Carpz. *lib. 6. Resp. 14. n. 2.* adde omnino dissertationem Excell. Dni. D. Siebrandi *de Jure Cinctorum singulari.*

Lustratis itaque illis, qui sub nomine militis hacce in materia nobis veniant, ordo jam postulat, imo ipsa necessitas, ut perpendamus quoque natales vocis DESERTORIS, quas haud obscure deducendas esse existimo a vocabulo *deserere*, cujus non infrequens in jure nostro est usus; & quidem in generali significatione sumitur pro *relinquere, desistere, negligere, abstinere* v. g. in *L. 10. ff. de Judic.* dicitur *deserere negotium* i. e. abstinere ab actione *L. 21. pr. ff. de inoffic. test.* exstat: *deserere querelam.* In *L. 6. §. 3. ff. de Decurion.* *deserere quæstionem publici judicii.* *L. 3. ff. ad L. Ful. Majest.* *deserere imperium.* *Novell. 93. cap. 1. deserere appellationis judicium;* Hinc appellatio deserta, cujus pœna est damni & expensarum restitutio, etsi bonam causam desertor habere deprehendatur. Mev. *part. 5. decis. 289.* Gail. *lib. 1. Obs. 138. n. 5.* Quis vero cognoscat de tali desertione, an judex ad quem, an Judex a quo? Vid. Gail. *lib. 1. Observ. 138. n. 8.* Brunnem. *in Process. Civ. c. 28. n. 32. seqq. &c.* Apud Ciceronem *pro*

- P. Quint. Orat.* dicitur *deserere vadimonium*, ut alia profana te-
39. stimonia sicco præteream pede. *Speciali* vero significatio-  
ne in jure tum Digestorum, tum Codicis, vox deserere est  
militum, qui vel in acie locum assignatum derelinquunt, vel  
sine literis liberi passus (ohne Pass) a signis suis sese subtrahunt,  
& in hoc significato vox, alias indifferentis acceptionis, semper  
crimen & vitium involvit. Conf. *L. 3. ff. 7. & 9. ff. de R. M.*  
*L. 5. pr. & §. 1. ff. Eodem.* His junge *L. 10. pr. ff. Eodem,*  
in qua dicitur *deserere excubias Palatii* & in *L. 3. ff. ad L. Jul.*  
*Majest.* dicitur: *deserere imperium Exercitumque P. R.* Conf.  
omnino pluribus Dn. Stryk. in *Diff. XXII. Vol. III.*
40. Uti vero vox deserere varie usurpatur, simili modo vox  
*Desertor* in variis occurrit materiis; Sic enim *desertorem SCri*  
*Turpilliani* nominari deprehendimus, qui ab accusatione desi-
41. tit. *L. 1. §. 12. ff. ad SCri. Turpill.* In Jure Canonico Desertor  
vocatur, qui Ecclesiæ propriæ ministeriis desertis, ad alia vitio  
fugæ, se transfert officia, per *c. 2. Caus. XXI. quæst. 2.* Cujus  
desertionis pœna, moribus hodiernis est hæc, quod desertor  
non mereatur ad prius officium iterum admitti. *Mev. P. 6. De-*
42. *cis. 264.* Pariter in praxi admodum frequens est hujus voca-  
buli usus, quando desertor malitiosus dicitur, qui conjugem  
sine justa causa derelinquit, quo casu pars deserta, ad aliud  
transire poterit matrimonium, ut recte Nostrates Theologi &  
Jcti, contra Pontificios, defendunt, per expressum dictum  
Pauli, *I. Cor. VII, 15.* Fallit enim Bellarm. *de Matrim. c. XII.*  
inter conjugia fidelium & infidelium hic distinguens: De-  
sertor enim etiam professione Christianus, *Erbnico & infideli*  
*deterior est, quia suos negligit I. Tim. V, 8.* & quia desertor, qui,  
*admonitionem Ecclesiæ negligens, non revertitur ad suos, habendus*  
*pro Erbnico & publicano, Matth. XVIII, 17.* Conf. Tarnov. *de*  
*Conjug. Lib. 3. c. 35.* Gerhard. *Loco de Conjugio §. 607. & 624.*  
*p. 1019. seqq. Carpz. Jurispr. Consist. Lib. 2. def. 192.* Brunnem.
43. *Jure Eccl. lib. 2. c. 17. §. 26. aliique.* Modo processus deserti-  
onis legitime instituatur, *Mev. Part. 4. Decis. 7.* Brunnem. *d. l.*  
§. 27.

§. 27. Carpz. *Jurispr. Confist. Lib. 3. Def. 56. seqq.* Struv. *ad. ff. Exerc. XXX. tb. 41.* Judex enim ex officio non procedit, Dn. Stryk *ad Brunnem. Jus Eccl. ad d. §. 27. ad verba: ad instantiam partis.* Ubi bene monet, hunc processum instituendum esse, durante adhuc absentia, non vero si desertor jam redierit. Tandem specialiter & domestico, ut sic dicam, usu, in Jure 44 nostro vox hæc tribuitur militi, *Vid. totus titulus Cod. de Desertoribus, add. L. 3. pr. & §. 3. L. 5. pr. ff. de R. M. L. 14. ff. Eodem L. 1. C. si reus, vel accusat, mortuus L. 4. C. pro quib. caus. serv. &c.*

Multis *Emanfor* audit, sed quam inconvenienti sub no- 45 mine, sequens nobis demonstrat differentia inter emanforem & desertorem intercedens, scilicet, quod *ille* sponte, *hic* invitus redeat, *ille* sæpius, *hic* nunquam regressum meditetur, vel, si quem instituat multo præterlapso temporis spatio demum is conspicitur, *per Gloss. in L. 3. §. 3. ff. de R. M. Litt. K. adde, quod ille* erronei, *hic* servò fugitivo comparetur *in L. 4. §. 14. ff. Eodem.*

Aliis *transfuga* dicitur, in quo tamen major semper oc- 46 currit dolus patriam prodendi, quam in desertore, cum ille non solum sua deserat, sed ad hostium quoque signa sese recipiat *per L. 19. §. 8. ff. de Captiv. Postlim. revers.* ex quo hosti prompta occasio suppeditatur, deserti exercitus conditionem & statum explorandi, sedulo nimirum in hunc inquirendo, & refractario parata tormenta & cruciatus adjiciendo, si veritatem celare conetur; Hinc ejus quoque gravior pœna in jure nostro constituitur; ceu longius enarrabit *caput II. n. 2. seqq.*

Germanis vulgo appellatur ein ausgerissener, feldflüchtiger, entwichener *Vid. Schwedische Krieg - Artickel Tir. 9. Brandenburgisches Krieges - Recht Tir. 7. Schweitzerisches Krieges - Recht Tir. 8. Fürstl. Durchl. zu Schleswig Krieges - Recht Tir. 7. &c.* Gallis dicitur: *un Deserteur.* Polonis vocatur *Zbieg*, quæ vox tam Vasallis, quam militibus applicatur, quin & Apostatis & religionis desertoribus attribuitur, imò om- 47

mnibus aliis officiis semel susceptis, iterumque derelictis, v. g. *Zbieg Klafztorny*, Desertor monachus, *Zbiegle Woysko*, castra profuga, *Zbiegac od Pana, od chorongwi*, deserere Dominum, signa, &c. Item: *Zbieg powrocony, zachwycony*, desertor deprehensus & retractus.

48. A nominali hac vocis evolutione, quam leges & alia vocis hujus expressiones suppeditarunt, nostrum calamum dirigimus ad realem ejusdem desertoris cognitionem, quæ sistitur in *L. 1. C. de Desertor.* quod sit *is, qui belli tempore a signis abit,*
49. scilicet, *sine justa causa, & animo nunquam redeundi.* Hoc tamen notandum, vocem *belli* in latiori hic sumi significatu, ut non tantum illi desertores hic veniant, qui in prælio ipso, vel acie, terga dant signis, sed, qui hyberna quoque, vel æstiva, deserant, imo, qui in profectioibus militum, (in marchen) vel pacis tempore, dolose se subtrahunt exercitui, nec signa designata sequuntur, hæc enim descriptio in lege occurrens ex eo desumpta est, quod ut plurimum accidit, *arg. L. 3. ff. de Legi-*
50. *bus.* Addimus quoque, *sine justa causa,* ne alias generalitate descriptionis circumventi, in desertorum classem eos quoque referamus, qui venia, vel jussu Ducis, a signis, per belli tempus, vel omne, vel certum, absunt.
51. Quod concernit ipsum Desertionis crimen, illud sequenti definitione commode circumscribi posset: *Quod sit dolosum*
52. *ausugium militis a signis, quibus se addixit.* *Dolosum,* quia communiter dolo committitur, quandoque tamen & culpa accedente, aut aliqua probabili causa, quæ militem in tantum, non in totum, excusat, adeoque pœnæ mitigationem infert, quo
53. de plura in capite tertio occurrent. Diximus porro *a signis,* licet non actu talibus, sufficit namque eum potuisse signa habere, quamvis de nunc iisdem nondum submissus sit, modo se in numerum militum legi passus sit, satis enim ex hoc deprehendet, se suo non amplius vivere genio, sui que juris nequaquam esse, adeoque gravi sese involvi crimini, si fidem semel datam fallat, *L. 1. pr. ff. de Pact. L. 1. pr. ff. de Constit. Pecun.*

Atque

Atque hæc generaliter præmonita circa rubrum differ- 54-  
tationis sufficiant, superest, ut ad pœnas quoque desertorum  
nostrum aptemus calamum. Faxit Jehova feliciter!

CAPUT II.

De Capitali pœna militis Desertoris.

SUMMARI A.

<i>De ordinaria desertoris pœna agitur hoc capite. n. 1.</i>	<i>tutæ ad transfugas extendendæ. n. 19.</i>
<i>In pœna dictitanda distingvendus transfuga a desertore. n. 2.</i>	<i>Hinc testamentum non condit. n. 20.</i>
<i>Quæ transfugarum pœna fuerit apud Ægyptios. n. 3.</i>	<i>Et pœnæ perduellionis locus, licet non ad infideles transfugiat. n. 21.</i>
<i>Item, apud quosdam Romanos. n. 4.</i>	<i>Nec hostem consilio adjuvet. n. 22. seqq.</i>
<i>Quæ in corpore Juris Romani Civilis. n. 5.</i>	<i>Obtinet, si vel in solo conatu transfugiendi deprehendatur. n. 25.</i>
<i>Hodiernæ Constitutiones militares partim pœnam capitis simpliciter dictitant. n. 6. &amp; 7.</i>	<i>Vel ab hoste captus, sed cum posset redire, non redierit. n. 26.</i>
<i>Partim in specie pœnam patibuli exprimunt. n. 8.</i>	<i>Privati transfugas, ut hostes, occidere possunt. n. 27.</i>
<i>Quæ in praxi recepta. n. 9.</i>	<i>De mitiori pœna remissive. n. 28.</i>
<i>Quæ pœna antiquorum Germanorum. n. 10.</i>	<i>Hodie perduellis sit subditus. n. 29. seqq.</i>
<i>Transfuga crimen perduellionis committit. n. 11.</i>	<i>Hodiernæ ordinationes militares non tollunt jus commune de pœnis perduellium latis. n. 32. seqq.</i>
<i>Quia semper proditor. n. 12.</i>	<i>Dicta de transfugis etiam ad desertores simplices applicantur. n. 34.</i>
<i>Licet sit militum magister. n. 13.</i>	<i>Et variæ desertorum pœnæ narrantur. n. 35. seqq.</i>
<i>Quia hic dignitas auget crimen. n. 14.</i>	<i>X 3</i>
<i>Lex. 2. ff. ad L. Jul. Majest. explicatur. n. 15. seqq.</i>	<i>Et</i>
<i>Pœnæ in crimine perduellionis sta-</i>	

<i>Et criminis perduellionis rei declarantur. n. 37.</i>	<i>Vel peregre profecti non redeunt. n. 66.</i>
<i>In simplici tamen desertore animus proditorius non facile praesumitur. n. 38.</i>	<i>Vel signa deserunt. n. 67. seq.</i>
<i>Nisi liquido probetur. n. 39.</i>	<i>Officialibus quoque haec pena capitibus dictatur, si alterius signi militem legant. n. 69. seq.</i>
<i>Nec hodie uniformis pena desertoribus dictatur. n. 40. seq.</i>	<i>Hodie emanator habetur pro desertore. n. 71. seqq.</i>
<i>Pena hodierna ex acie primo fugientium recensentur. n. 42. seqq.</i>	<i>Sollicitatores desertorum eadem pena afficiendi. n. 74. seq.</i>
<i>Præfectus militiae desertor Jure Romano mitius punitur. n. 45.</i>	<i>Ut &amp; occultatores. n. 76.</i>
<i>Mores variant. n. 45.</i>	<i>Et non indicantes. n. 77.</i>
<i>Nisi liquido constet de animo proditorio. n. 49.</i>	<i>Desertorum non deprehensorum pena. n. 79. seqq.</i>
<i>Si totæ Cbiliades, vel centuriones aufugiant, locus est decimationi. n. 50. seq.</i>	<i>Aliquando tamen captus ultimum luit supplicium. n. 84.</i>
<i>Cujus ratio. n. 52.</i>	<i>Licet pace jam sancita deprehensus sit. n. 85.</i>
<i>Quid si non decem, sed duo vel tres aufugiant. n. 53. seq.</i>	<i>Vel legione jam dimissa. n. 86.</i>
<i>Desertores occidere privatis conceditur. n. 56.</i>	<i>Pena capitalis desertorum equitati convenit. n. 87. seq.</i>
<i>Licet parricidium committatur n. 57.</i>	<i>Licet quis extra aciem fugiat. n. 89.</i>
<i>Vel desertor ne quidem accusatus sit. n. 58.</i>	<i>An corporalis pena sufficiat. n. 90. seqq.</i>
<i>Quomodo hoc intelligendum. n. 59. sq.</i>	<i>Nisi pena capitalis non sit constituta. n. 95.</i>
<i>Extra aciem fugienti stricto jure eadem dictatur pena. n. 61. seq.</i>	<i>An suspensus in patibulo relinqui possit? n. 96.</i>
<i>Ut &amp; illi, qui in die comnearus se non sistant. n. 65.</i>	<i>Negantes cum suis rationibus primariis adducuntur. n. 97. seqq.</i>
	<i>Affirmativa verior, ejusque fundamenta. n. 101. seqq.</i>

*Contrariarum rationum solutio.* | *mum terræ mandantur. n. 108.*  
*n. 104. seqq.* | *Transitus ad caput tertium. n.*  
*Hodie tamen desertores ut pluri-* | *109.*

**L**ustrata definitione nominali & reali militis desertoris, <sup>o. n. 1.</sup> peræ pretium erit, ut hoc capite de ordinaria ejus pœna agamus. *Capite 1. autem n. 46.* dictum, desertorem alium esse transfugam, alium desertorem simplicem, illumque hoc esse pejorem. Hos ergo ut distinguamus, in pœna, desertorum dicitanda, necessum est.

TRANSFUGARUM pœna, pro diversitate populorum & <sup>3.</sup> temporum, diversa fuit statuta, ut plurimum tamen *capitalis*. *Ægyptii*, linguæ abscissione, hoc crimen mactarunt. *Diodor. Sicul. lib. 2. Antiquit. c. 3.* Romani, variis pœnis, transfugarum malitiam coërcuerunt: *Quintus Fabius Maximus* manus transfugæ amputari jussit, ut aliis esset terrori, *Valer. Max. lib. 2. c. 2. Gotbofr. ad L. 3. ff. ult. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Litt. m. K.* *Africanus* Prior crucibus eos affixit, socios vero securi percussit; Posterior vero *Africanus* bestiis & elephantis objecit. *Valer. Max. d. 1. & ex eo Gotbofred. l. c.* Aliquando Romæ primum verberati, securi percussi sunt, vel de Saxo Tarpejo præcipitati *Livius lib. 3. citante Gotbofr. d. 1.* Leges <sup>5.</sup> quoque nostræ, in corpus Juris, & in specie in Pandectas relata, varie mortis supplicium determinant, in genere capitis pœnam imponit *L. 7. ff. de R. M.* Furcæ pœnam dicitat *Modestinus L. 3. §. 10. ff. Eodem. & L. 38. §. 1. ff. de Pen.* vel ad bestias damnat. *d. 1. 3. §. 10. ff. de R. M.* Vel Vivicomburium imponit. *Vid. Ulpianus l. 8. §. 2. ff. de Pen. L. 38. §. 1. Eodem.*

Hodiernam praxin militarem si respiciamus, itidem in <sup>6.</sup> quibusdam ordinationibus militaribus pœna simplex capitalis, dicitatur. *Vid. Artickels-Brieff Christiani IV. Regis Danie art. 29.* ibi: derjenige, so wieder seinen Eyd und Ehre zu dem Feinde überreitet, oder überläufft, soll als ein Ehrvergeßner

- gessner meineidiger Schelm seine Ehre und Leben, wo er auch betreten wird, verbrochen haben, &c. Conspirat Chur-  
 7. Fürstl. Brandenb. K. R. *art. 46.* Ibi: Wer zum Feinde überläuffet, dessen Nahme soll am Galgen geschlagen, und da er erwischet, am Leben gestraffet werden. Eademque verba repetuntur in Königl. Majest. zu Schweden Krieges Artickels-Brieff *art. 63.* Item: das Holländisch K. R. *art. 55.* ibi: der soll  
 8. des Todes sterben. Specialius vero hanc poenam exprimunt & patibuli dicuntur Invictissimi Imperatoris Leopoldi Artickels-Brieff *art. 44.* ibi: die Überläuffer sollen, wenn sie wieder ertappet, auffgehencket werden. Eademque poena expressa in hodierni regnantis Regis Daniæ *Christiani V.* Krieges- Artickels-Brieff *art. 65.* ibi: Wo er betreten wird, ohne einige Begnadigung auffgehencket werden. Quæ etiam poena in praxi communis esse solet. Schwarz. *decis. Militar. sub voce Ausreiffere Cas. III. & V.*
10. Nec nova, sed antiquis jam Germanis nota, qui suspensio transfugas affecerunt, ut ex *Tacito de moribus Germ.* probat Pappus *in notis ad Jus militare Hollandicum art. 12.* qui ibidem refert, Imperatorem Fridericum Enobarbum, oculorum & linguæ abscissionem transfugis dictitasse.
11. Nec inconvenienter hic quæri posset: *Annon transfuga crimen perduellionis committat, atque gravissima bujus criminis poena afficiendus sit?* Affirmativam defendimus *L. 2. ff. ad L. Jul. Majest.* ibi: *vel privatus ad hostem perfugit;* Vid *Ægid. Bossius in Practica Criminali tit. de Crimine læsæ majest. n. 13. Colleg. Argentorat. Eodem titulo. tb. 3. n. 7. Farinacius quæst.*
12. *113. n. 12. ibique longa serie allegari.* Cujus ratio evidens: Crimen enim perduellionis committit, qui dolo malo hostibus literas, vel nuncium, mittit *L. 1. ff. ad L. Jul. Majest.* ergo multo magis, qui ipse ad hostem perfugit, nam ex hoc hostis certior reddi poterit de conditione nostri exercitus, adeoque  
 13. transfuga semper proditor est per *L. 7. ff. de R. M.* Dum vero in *d. l. 2. ff. ad L. Jul. Majest.* dicitur: *aut privatus ad hostem per-*



perfugerit, dubium moveri posset; *An idem dicendum sit, si supremus belli dux, vel Campimagister, vel Cbiliarcha, vel Centurio, ad hostem profugat, an Crimine perduellionis se polluat?* Af-14. firmativam defendimus, quia in crimine perduellionis dignitas mitiorem poenam non operatur L. 3. ibi: *minime quisquam privilegio dignitatis, & L. 4. C. ad L. Jul. Maj.* Imo in hoc delicto dignitas auget crimen, quia cum dignitate directo pugnat. *Brunn. ad L. 8. C. de Episc. & Cler. n. 7. & 8.* Hinc in hoc delicto si ignobilis suspendendus sit, nobilis gladii mitigationem expetere non potest, sed altioribus furcis suspendendus est, ut scribit And. Tiraquellus *de nobilitate c. 20. n. 120.* Ad Legem vero allegatam secundam respondet Gothofredus, 15. *ad d. l. Litt. E.* quod de privato verba sint concepta, quia minus dubii habet in Duce vel Praefecto; Quibus Gothofredus idem indigitare videtur, quod jam dictum, quod scilicet gravius sit delictum in Duce & Praefecto, quam milite gregario. Verum, salva aliorum auctoritate, mihi verba illa: *Si privatus* 16. *ad hostem perfugit,* capropter ab Ulpiano adjecta esse, probabile est, quod in privato nulla excusatio admittatur, si ad hostem transeat, quamcunque enim causam habeat; eam praefecto, vel duci indicare tenetur, quod si non faciat, crimen transfugæ, incurrit, cum dolus ex ipso facto colligatur, hostis enim quæcunque sciscitare solet ex tali transfuga, quæ revelata suo exercitui nocumento & damno esse possunt. Si vero 17. dux, vel praefectus, ad hostem transeat, majori opus est causa cognitione, quo animo transierit; potuit enim animo explorandi castra, vel vim hostium transiisse, & non animo prodendi suum exercitum, quæ praesumptio in Duce in meliorem partem capienda, ob vitam antea bene actam, L. *non omnes* 5. §. 6. & 7. ff. *de R. M.* quæ secus se habent in privato, cum huic licitum non sit sine consensu Ducis castra hostium perscrutari. arg. L. *desertorem* 3. §. 15. ff. *de R. M.* ibi: *in bello, qui rem a Duce prohibitam fecit, capite punitur: etiam si res bene gesserit.* Si vero liquido probatur animus proditorius du- 18.

cis, criminis perduellionis poena quam maxime afficiendus est, quia omnis transfuga patriæ suæ proditor, & hostium numero habetur *L. postliminium 19. §. 4. de Capt. & Postlim.*

19. Adeoque transfugis, hodie sectionem in quatuor partes dicitari posse, nulli dubitamus, juxta *Constit. Criminal. art. 124.* ut & memoriæ damnationem, *vid. auream bullam c. 24. & L. 5. C. ad L. Jul. Majest.* Omnium bonorum confiscationem,
20. *dictis textibus.* Hinc sua sponte sequitur, transfugam non posse condere testamentum, quia amittunt jus Civitatis, omniaque bona, & pro hostibus patriæ habentur *d. l. 19. §. 4. ff. de Captiv. & postlim. L. 3. §. 10. ff. de R. M.* & licet Joh. a Sande *in decisionibus. lib. 4. tit. 1. def. 2.* & cum eo Brunnem. *ad L. 8. ff. qui testam. fac. poss. n. 1.* hanc sententiam restringere videatur ad transfugas, qui ad infideles profugiunt; Hæc tamen limitatio
21. est superflua, cum omnis transfuga ad hostem, hostis fiat, & crimen perduellionis committat. Schilter *in Praxi Juris Rom. Exercit. 38. §. 18.*
22. Sunt denique alii, qui tunc demum crimen perduellionis committi putant, quando transfuga hostem consilio adjuvat; Si vero non armando, nec pugnando, nec aliter illis opem præstando, apud hostes permaneat, non committere Crimen læsæ Majestatis. Baldus *in L. data opera col. 3. post. medium vers. qui ad hostes C. qui accus. non poss.* Gramm. *decif. 15. n.*
23. 6. Farinacius *Operum Criminal. part. 5. quæst. 113. n. 17.* Verum hæc opinio ad desertorem & transfugam nostrum transferri non potest, quia miles deserendo militiam, & ad hostem transeundo, semper censetur in dolo esse, semperque tendit in præjudicium sui principis, dum seipsum quasi furando *arg. L. 60. ff. de Furt. exercitum & patriam suam privat milite, & sic, quantum in se est, Rempublicam prædæ hostium exponit.*
24. Damnosum quoque semper Principi & suæ Reipubl. censetur, si miles transfugiat ad hostem, utut non habeat animum prodendi, mos enim militaris fert, ut transfugæ de statu & conditione exercitus, a quo transfugerunt, interrogentur

tur, & si sponte confiteri, vel clare ad interrogata respondere nolint, sub tormentis quoque quæri soleant, quod cum sciat, vel scire debeat, miles transfuga, semper animum nocendi habuisse præsumitur.

Hinc etiam jura nostra solum conatum transfugiendi capite puniri volunt, per *L. 3. §. 11. ff. de R. M.* quod commune est in crimine perduellionis *L. quisquis §. pr. ff. ad L. Jul. Majest.* ibi: *Eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura volunt.* Ubi non distinguitur, ex qua causa transfugere voluerit, an tantum animo permanendi, an etiam animo nocendi, Ergo nec nostrum est distingvere.

Imo, qui sine sua culpa ab hoste captus est, si tamen possit redire, & non redeat, pro transfuga habetur, juxta *Arrium Menandrum Lib. 1. de re milit. in L. non omnes §. §. ff. de R. M.* Hic solus non rediens pro transfuga habetur, nec desideratur, ut hostem juverit.

Simili severitate, cuilibet privato conceditur facultas, transfugas, ubicunque inventi fuerint, quasi hostes interficere, per verba expressa *Martiani ad L. 3. §. ult. ff. ad L. Cornel. de Sicariis.* Privatus certe in causam non inquiret, nec judicium formabit, an transfuga habuerit animum nocendi, an ex alia causa transfugerit, sed dolus, in re tam illicita, ex ipso facto colligitur.

Et hæc quidem in thesi recte sese habent, possent tamen circumstantiæ excogitari variæ, quæ pœnam mitigare possent, quas hac vice brevitas studio sicco prætereo pede. Item pœnam instigatorum, occultantium, non indicantium, quia dicenda de desertoribus in specie, etiam huc facile transferri possunt, nisi, quod in transfugis pœna intendi soleat.

Hoc vero monendum duxi: ex Jure Canonico, in crimine perduellionis desiderari, ut committatur a subdito. *Clement. Pastoralis 2. §. rursus de sententia & re judicata,* quod, in hac quæstione, doctores comuniter sequuntur. *Carpz. quæst. 41. n. 16.*

41. n. 16. *Struv. Exercit. 49. tb. 19.* Eckold *ad ff. L. Jul. Majest. §. 4. Colleg. Argent. tit. ad L. Jul. Majest. tb. 5. Dn. Hop-*
30. *pius Comment. J. ad §. 3. de Publ. Judic.* uti enim parricidium commississe non dicitur, nisi qui suum patrem occidit; ita nemo criminis perduellionis reus dici potest, nisi suam patriam, suumque Patrem Patriæ occidat, vel immediate lædat. Eckold
31. *ad ff. d. r. §. 4.* Cujus tamen contrarium ex Alberico Gentili, rationibus non contemnendis, probat Tabor *in notis ad Colleg. Argentorat. ad d. tb. 5.* Sic Maria Stuarta, Scotiæ Regina, Londini anno 1556. coram 400. iudicibus, tanquam perduellis, ad mortem damnata est, licet non esset subdita Elisabethæ. Thuanus *lib. 86. histor. sub anno 1587. Tabor. d. l.*
32. Dictis hætenus obstat, quod in ordinationibus bellicis non legamus, pœnam perduellionis transfugis esse constitutam, sed ex communi praxi sola suspendii pœna sufficiat. Respondemus enim, lex posterior non censetur abrogare priorem, nisi hoc expressis verbis fiat, sed in arbitrio est judicis, an juxta ordinationem militarem, transfugas afficere velit pœna patibuli, an vero juxta Constitutionem Criminalem, Auream
33. Bullam, & jus commune transfugas punire velit. Adhæc ordinationes militares in genere de militibus loquuntur, qui hodie ex vario Gentium genere, & non præcise a subditis colliguntur, adeoque intelligi possunt, si miles non simul sit subditus; Et in ducibus & præfectis militum, si transfugæ fiant, adhuc hodie executioni mandari pœnam perduellionis, extra Controversiam positum est, ergo adhuc hodie est in arbitrio judicis, quam eligere velit pœnam.
34. Dicta hætenus de transfugis in plerisque applicari possunt ad DESERTORES SIMPLICES, miles enim desertor, qui in acie primus fugam accipit, capite punitur, juxta *L. 6. ff. qui in*
35. *acie prior 3. ff. de R. M.* Olim Romani illos, qui signa in acie perdiderant, virgis cedi curarunt, ac postea caput securi amputari mandarunt, *Liv. lib. 3. c. 39.* Alias aliorum Gentium severas atque ludicras pœnas enarrat Hoyerus *in not. ad art. 34.*

Chur-Fürstl. Brandenburgisches K. R. videlicet, quod Græci 36.  
 secundum legem Charondæ (utar dicti auctoris verbis) die  
 Flüchtigen gar artig bestraffet haben, gestalt dieselbe drey Tag-  
 e in Frauen-Kleidern am öffentlichen Märckte sitzen mußten.  
 Die Spartaner machtens noch artlicher. 1. Entsatzen sie die-  
 selben aller Ehren-Aempter. 2. Denn dürffte sich keiner  
 weder mit ihnen verheyrathen, noch aus ihrer Freundschaft  
 eine zur Ehe nehmen, denn es ward infam gehalten. 3. Es  
 möchte sie auch ein jeder, der ihnen begegnete, schlagen,  
 und zwar ohne alle Verantwortung. 4. So mußten sie auch  
 schlechte Mäntel tragen, worauff ihr Verbrechen gemahlet  
 und geschrieben stunde. 5. Über dem ward ihnen noch der  
 halbe Knebel-Bart weggeschoren, die andere Helffte mußten  
 sie zum Schimffe tragen.

Quæ supra de transfugis dicta sunt, quod crimen perdu- 37.  
 ellionis committant, illa repetenda forent in desertore sim-  
 plici. Qui enim exercitum deseruit, Lege Julia Majestatis  
 tenetur, juxta Ulpianum in *L. quive 2. ff. ad L. Jul. Majest.*  
*Marcianum L. 3. ff. Eodem. ibi: Quive imperium exercitumve*  
*Populi Romani deseruit.* Nisi quod in simplici desertore faci- 38.  
 lius admittatur aliqua excusatio: Hinc non omnes desertores  
 similiter puniendi, ut sunt verba Menandri in *L. non omnes de-*  
*sertores 5. pr. ff. de R. M.* Si vero subditus sui Principis exerci- 39.  
 tum in acie, animo doloso deserat, quo alii ejus exemplum  
 sequantur, vel ut hosti victoria cedat, adhuc hodie gravissima  
 illa pœna, in perduelles statuta, ejusmodi desertori, propter  
 animum proditorium, dictitanda est. *Farinacius quæst. 113. n.*  
*11. Decianus in tract. Criminal. lib. 7. c. 15. n. 13. seqq.*

Ordinationes bellicæ hodiernæ mentionem non faciunt 40.  
 criminis perduellionis, sed communiter juxta Jus Romanum non  
 omnibus desertoribus eandem dictitant pœnam, ut plurimum  
 tamen capitalem; Mihi tamen persuasum habeo, & leges il- 41.  
 las Romanas mitiores, & ordinationes hodiernas bellicas, in-  
 telligendas esse de simplici desertore, qui animum proditori-

um non habet, sed in quo tantum colligitur ille animus, vel, in quo sola malitia desertionis, ejusve culpa, punitur.

42. Dixi autem hodie varias pœnas desertoribus in ordinati-  
onibus bellicis esse impositas: In Kön. Maj. in Schwed. Car-  
oli Gustavi K. A. B. pœna *Capitalis* imponitur, si quis primus  
*in acie* se convertat in fugam *art. 51.* ibi: Welcher vor dem  
Feind zuerst die Flucht nimt, der mag, wenn er ergriffen,  
unangeklaget todt geschlagen werden. Eademque verba re-  
petuntur in dem Chur-Fürstl. Brandenburgischen Kriegs-Recht  
*art. 34.* Adde *Constitutiones bellicas Regni Polonici art. 13.* Das
43. Holländisch K. R. *art. 51.* Itidem conspirat, ibi: Wer in einer  
Schlacht, oder Sturm, den Anfang machet zur Flucht, der  
soll auff der That von einem jeden todtgeschlagen werden.  
Item: Schweitzerisch K. R. vel potius Civitatis Tigurinæ  
(Zürch) *art. 42.* ibi: der soll am Leben gestraffet werden.
44. Pœnam Patibuli vero in specie expressit Dux Holsaticus Schles-  
vicensis *art. 49.* ibi: Derselbige soll mit dem Galgen gestraf-  
fet werden, ut & Elector Saxonix in des Obersächsischen  
Reichs A. B. *art. 16.* ibi: Die soll man zum Exempel, ohne  
Process, öffentlich straffen, und aufhencken; quæ pœna pa-  
tibuli in praxi quoque communiter recepta. Simplex enim  
desertor hodie suspendio punitur *vid. n. 64.* ergo multo ma-  
gis ex acie aufugiens *vid. Christianus V. Reg. Dan. K. Art. Br.*  
*Art. 61.*
45. Id vero satis perspicuum non est, an *præfecti militum*  
eandem mereantur pœnam, quam milites gregarii, si deserto-  
res sint? Et jure quidem Romano mitior pœna obtinere vi-  
detur in præfectis, per *L. non omnes 5. pr.* ibi: *Sed habetur &*  
*ordinis, stipendiorum ratio, gradus militiæ, ff. de R. M.* Eadem-
46. que sententia approbata in *Jur. milit. Regis Sveciæ Caroli Gu-*  
*stavi art. 49.* ibi: Würde aber, indem der Mangel bey den  
Befehlichhabern gespühret, sollen dieselbe dadurch nicht al-  
lein Ehrlos seyn, sondern auch dazu aus dem Lager gejaget  
werden.

werden. Eadem poena repetita im Chur-Fürstl. Brandenb. K. R. *art. 33.*

Contrarium tamen dispositum est in dem Artickels-Brieff 47. der Reichs Völcker, wie selbiger den 6. *Novemb. Anno 1672.* auff dem Reichs-Tag zu Regenspurg verglichen worden. *art. 70.* So soll der Officir, welcher an solcher Flucht schuldig, Ehr und Leben verwürcket haben. Eadem verba repetuntur in Inviçtissimi Imperatoris Leopoldi *de Anno 1674. art. 48. add.* Königl. Majest. zu Dennemarck Krieges- Artikels- Brieff *art. 104. ibi:* So sollen die Officirer, welche an solcher spöttlichen Desertion Ursach, ihr Gutt, Leib, Ehr und Leben, verwircket haben. Idemque constitutum in Ducis Brunsvicensis Hannoverani A. B. *art. 70. ibi:* So soll der Officier, und die an solcher Flucht schuldig, Ehr und Leben vervvircket haben. In Serenissimi Ducis Brunsvicensis Cellensis A. B. *art. 36.* constitutum: Dafs die Capitains und Leutnants, mit dem Schwverdt gerichtet, die Cornette aber, nebst allen nachfolgenden Unterofficiren, vvie auch Gemeinen allemahl der Zehende, vv welchen das Loofs der Würffel dazu denominiren vvird, in offenem Felde, und freyer Landstrasse, an die Bäume aufgehencket, und also, vv wenn vorher ihr Degen durch den Scharffrichter zerbrochen, mit dem Strange vom Leben zum Tode gebracht vv werden. Pro diversitate ergo cujusque juris militaris, hoc casu, pronounciandum erit. Iterum tamen iterumque moneo, supponendum esse, non liquido constare de animo proditorio, de hoc enim si constet, nulla erit differentia inter militem gregarium & præfectum militiae, (einen Officirer,) quin imo hic graviori adhuc poena coërcendus, cum dignitas delictum augeat. *Vid. supra. n. 14.*

Ex modo dicto articulo 36. Serenissimi Ducis Cellensis percipimus, quod decimationi locus sit, si *totæ chiliades, vel centuriones* fugam accipiant, quod convenit cum omni fere jure militari. *Vid. Chur-Fürstl. Brandenb. K. R. art. 33. ibi:* Von den gemeinen Soldaten aber, allezeit der Zehende nach dem Loofs aufgehen-

- gehencket vverden. *Item* Königl. Majest. zu Dennemarck A. B. *art. 104.* ibi: Die Unter-Officirer aber nebst den gemeinen Soldaten, sollen der zehende, vvelchen das Loofs der
51. Würffel treffen vvirtd, auffgehencket vverden. Das Schwveitzerische K. R. hoc casu globuli ictum mortem dicitat, *Art. 43.* ibi: Die Soldaten aber, jeder Zehende nach dem Loofs, archibusiret vverden. Idque rationem habet evidentem, cum omnes mortem promeruerint, cujus metus per sortem ad o-
53. mnes pervenit, poenæ executio vero ad paucos. An vero forti locus, si *duo, tres vel quatuor* idem delictum commiserint, ex eo dubium, quod decimatio dici non possit, nisi ad minimum decem hoc delictum admiserint, quia nomina con-
54. sequentia esse debent rebus *§. est & aliud 3. ff. de Donation.* Hinc in simplici desertione Rex Gallia in der Frantzösischen Krieges-Ordinance vvegen der jenigen, so aufsreissen, *de Anno 1666. ult. Martii. art. 8.* duobus desertoribus, sine venia poenam capitis dicitavit; si vero plures, vel trini, sorte tentare debent, quis eorum morti, qui vero ad triremes condemnati esse debeant, *vid. d. l. art. 9.* ibi: Da aber ihrer mehr auff einmahl bekommen vwürden; So vvollen Seine Königl. Majest. zu Sparung des Blutvergießens, daß sie drey und drey untereinander loosen, vver von ihnen sterben soll, und derjenige, den das Unglück! treffen vvirtd, so bald exequiret, die andern beyde aber auff die Galeren zu evvigen Tagen condemniret vverden sollen. Nobis ducis arbitrio hæc quæstio relicta videtur, si certi nihil in Jure militari bellico fuerit determinatum.
56. Id vero tanquam singulare adhuc notamus, quod privato quoque concedatur facultas, desertores in acie occidendi. Vid. des H. Römischen Reichs Reuter-Bestallung *art. 63.* ibi: Da auch andere, die solches sehen, derohalben auff unvervventen Fufs, in denselben schießen, oder stechen, die sollen daran nicht gefrevelt, sondern noch dabey grossen Danck darzu verdienet haben. Idemque statuimus, licet proprius filius fuerit,
57. qui hac ratione occidatur, *arg. L. 35. ff. de Religios.* quale exemplum



plum legimus in Colleg. Argentorat. *Tit. de re milit. §. 15. in fine*, nimirum; quod Lacæna, ex acie filium fugientem, interfecerit, inquires: Non est meum hoc germen; *ibique & aliud vide.*

Denique noto, in plerisque locis fugitivum in acie ad 53. mortem condemnari, licet ne accusatus quidem sit. Vid. Königl. Majest. zu Schweden K. R. *art. 51.* ibi: Der mag, wenn er ergriffen, NB. unangeklaget todtgeschlagen vverden. Eademque verba repetuntur in dem Chur-Fürstl. Brandenb. K. R. *art. 34.* Quæ verba intelligo, si in ipsa acie, vel, dum aci- 59. es durat, desertor deprehendatur, hoc enim casu periculum in mora est, quæ nullam admittit causæ cognitionem. add. Mev. *part. 2. decis. 237. n. 4. & 5.* Bernh. Grævæus *Pract. Conclus. lib. 1. concl. 6. n. 3.* Si vero tale periculum non sit in mora, desertor 60. occidi non potest, cum ne princeps quidem sine Citatione & causæ cognitione, criminalem ferre posset sententiam. Vid. Excellentissimus Jctus, Joach. Christian. Coch *in praxi Forensi Germ. part. 4. c. 6. §. 6.* Nicolaus *in Processu. cap. 3. n. 3.* cum nec Diabolo, si tempus permittat, defensio deneganda sit. Carpov. *quæst. 105. n. 23.*

*Extra aciem*, si quis aufugiat, stricto jure, eadem pœna, 61. quæ etiam in multis juribus militaribus dictatur, obtinet. Vid. Kayfers Maximil. II. A. B. *art. XI.* ibi: Wo einer oder mehr, nach dem er Geld empfangen, wieder darüber entlieffe, oder hernach ohne Erlaubnis, und ohne Passport vom Hauffen, und Verurlaubung desselben hinweg zöge, vvo, oder vvenn dieselbige einer oder mehr in solchem betretten vwürden, dieselben sollen an Leib und Leben gestraffet vverden, und iederman gut Preiss seyn. Nec ordinatio Belgica Regis Galliæ 62. de fugitivis *art. 8. & 9.* distinguit, inter desertores in acie & alios, sed indistincte pœnam capitis dicitat, & trini vel plures si fuerint, tertium ad mortem, reliquos vero duos ad triremes condemnat. Mortis quoque pœnam, & quod omnis 63. desertor similis esse debeat illi, qui in acie aufugit, perspicuis

- verbis hodiernus Rex Daniæ, Potentissimus Christianus V. in den Kriegs-Artickels-Brieff *art. 61.* expressit, ibi: Wer anders thut und vveglauftt, &c. soll nicht vveniger als diejenigen, vvelche, vvenn man vvieder den Feind zeucht, oder belagert, vveglauften &c. Falls man ihn ertappet, soll er gehencket
64. vverden. *Conspirat Chur-Fürstl. Brandenb. K. R. art. 32.* De expeditione in specie loquitur das Holländisch. K. R. *art. 24.* ibi: Welcher im marschiren, vvenn er über Land nach dem Kriege zeucht, oder vvieder zurück kehret, sein Fähnlein, oder Cornet, verlässet, soll ohne alle Gnade mit dem Tode gestraffet vverden. In praxi recepta est pœna patibuli Feltman. in *Resp. mil. IV. n. 6.* Schvvartz. in *Dec milit. sub voc Ausreiffere casu XII. XX. & XXXI.*
65. Ad desertores capitali pœna afficiendos adhuc referre lubet in hoc capite (1.) qui ad diem commeatus se non stetit, per textum expressum in *L. desertorem 3. §. si ad diem commeatus*
66. *ff. de R. M.* revera enim exercitum deserit. (2.) Si ex concessione ducis vel præfecti consequatur facultatem peregre proficiscendi, sed statuto die non redeat, quia revera non tantum deserit exercitum, sed etiam præfectum, qui ei veniam dedit, decipit. Vid. Königl. Majest. zu Dennemarck K. A. B. *art. 61.* ibi: Wer vvegläuftt, oder nach erlangten Urlaub gar aufsbleibet, und sich bey seiner Compagnie nicht vvieder einfindet, soll nicht vveniger, als diejenige, vvelche, vvenn man vvieder den Feind zeucht, &c. gehencket vverden. adde die Franztzösisch K. Ord. *de ult. Mart. 1666. art. 2.* ibi: Oder länger als er beurlaubet, aufsbleiben vvird &c. zum Tode verurtheilet
67. vverden. (3.) Qui exercitum quidem non deserunt, sed tamen a signis suis aufugiunt, & alii præfecto operam suam locant; nam hi quoque capitali pœna afficiendi juxta Holländisch K. R. *art. 16.* ibi: Wer von einer Compagnie zur andern, oder anders vvo sich begeben, und das Fähnlein verlassen vvill, soll zuvor seinen gebührlichen Passport von seinem Hauptmann nehmen, vver anders thut, soll am Leben gestraffet vverden.

den. In praxi enim communiter jurare solent, quod signa sua militaria deferere nolint; Qui vero ad alia signa ejusdem exercitus transit, ille deserit sua signa. Imo jus militare Hol-  
 landicum praefectos quoque militum, ultimo affici jubet sup-  
 plicio, si militem alterius legionis legant. Holländisch K. R.  
*art. 17. ibi:* alle Capitaine, vvelche einen Soldaten ohne rechtmässigen Urlaub seines vorigen Capitains annehmen, sollen am Leben gestraffet vverden. Idem constitutum a Potentissimo Rege Daniae Christiano V. in dem Krieges-Artickels Brieff.  
*art. 61. & 62. ibi:* die Capitaine sollen einander die Knechte nicht verführen, noch abvvendig machen, bey Lebens-Straffe. Quamquam articulus 63. condemnationem ad munimenta substituere videatur. (4.) Hodie & ille desertor audit, qui sine speciali Ducis, vel Praefecti, consensu, abest ab exercitu, vel signis suis, Vid. Das Brandenburg. K. R. *art. 31. ibi:* Kein gesunder Soldat soll sich vveder im Zuge, noch im Lager, noch in Besatzung liegend, ohne eintzigen Pass-Zettel finden lassen, &c. da er aber ein gantze Meilevveg dahinter, oder davon bliebe, soll am Leben gestraffet vverden. Severior adhuc poena Juris militaris Hollandici *art. 22. ibi:* Wer aus dem Quartier seines Fähnleins, oder Guarnison, ohne seines Hauptmanns Erlaubniss vweiter, als ein Schuss aus einem groben Stück lang, gehet, soll am Leben gestraffet vverden. Jure equidem Romano itidem injunctum, ne quis a signis suis recedat, vel per agros vagetur, *L. Tribuni 11. C. de R. M. sed capitalem poenam impositam fuisse non legimus, quin potius ejusmodi emanfores castigari, aut gradu militiae dejici jubet, L. 3. ff. 2. & 5. ff. de R. M. sed haec differentia inter emanforem, qui diu vagatur, & desertorem in effectu eatenus sublata est, si emanfor quoque capitaliter puniatur. (5.) Desertores quidem non sunt, desertorum tamen poena afficiendi sollicitatores ad fugam, ut & consilium speciale dantes ad fugam capeffendam: In delictis enim consilium speciale transit in mandatum, *arg. L. 35. ff. de V. S. §. penult. J. de injur. L. 12. ff. ad. L. Jul. de.**

75. *adult.* mandans vero & mandatarius regulariter eadem pœna tenentur, *L. 6. pr. ff. ad SCt. Syllanian.* Maxime si non unum, sed varios milites ad fugam sollicitaverint, wenn sie im Lager herumgehen, und die Krieges-Leute zum Uberlauff, oder Flucht bereden, sine ulla gratia, suspendi solent. Quod ipsum in praxi quoque hodierna observari, testis est Schwartzius in *decisionibus militaribus, sub voce: Ausreiffere casu XVIII.* ubi & svasorem & persvasum desertores factos, capitaliter fuisse punitos, præjudicio roborat.
76. Eandem quoque pœnam merentur desertorum occultatores *arg. L. 1. C. de desertoribus*; ubi tamen domini prædiorum, in quibus occultantur fugitivi, prædiis privantur; actores vero, vel procuratores, capitali supplicio subjugantur. Imo & stricto jure, qui non indicant desertorem, pœna desertorum dignus videtur; gravissimum enim crimen est desertionis, quod in insigne detrimentum tendit Reipublicæ, si plures in fugam se conjiciant, in gravissimis vero delictis conscii quoque eadem puniuntur pœna *L. Pompeja 6. ff. ad L. Pompej. de Parricid. L. 5. pr. ff. ad L. Jul. Majest.* Idemque innuere videtur Regis Daniae Christiani V. Krieges Artickels-Brieff, quando conversantem cum fugitivo *art. 61.* Desertori similem judicat; ibi: Wer wissentlich mit solchem (scil. desertore) umgeheth, wo es auch immer seyn mag, oder NB. denselben verhelet, soll solchem verlauffenen Schelm gleich geachtet werden.
79. Hactenus habuimus de pœna desertorum, si deprehendantur, restat, ut videamus de pœna eorum, qui in fuga non deprehendantur, & quidem, qui ex acie primi in fuga, si non deprehendantur, infames declarantur, nomen patibulo affigitur, & in bannum declarantur. Vid, Brandenburg. K. R. *art. 34.* ibi: da einer für den Feind zuerst die Flucht nimt, der soll, wenn er ergriffen, unangeklaget todt geschlagen; da er aber entkommet, zum Schelmen verurtheilet, dafür öffentlich ausgeruffen, und angeschlagen, auch Vogelfrey gemacht

chet werden. Eadem verba repetuntur a Potentissimo Rege Sveciæ *art. 51.* Jus militare Hollandicum tantum infamiam 81. expressit: *art. 51.* Eademque pœna infamiæ ab Imperatore Maximil. II. Artickels-Brieff *art. 23.* dictitata est, ibi: zu einen öffentlichen Schelm gemachet vverden. Qui tamen articulus non loquitur de eo, qui primus fugam ex acie arripuit, sed in genere de quovis desertore, der die Flucht im Felde, oder sonsten machet, juxta articulum præcedentem 22. Nec Potentissimus Rex Daniæ Christianus V. *articulo 61.* distingvit, sed omnibus desertoribus, pœnam infamiæ, præscripsit *d. art. 61.* ibi: Und sein Nahme an den Galgen geschlagen; Falls man ihn aber ertappet, soll er gehencket werden. Eadem sententia probatur Serenissimo Duci Lüneburgensi - Cellensi *in Jure militari tit. IX. art. 37.* ibi: Wer ohne Abschied heimlich davon läufft, dessen Nahme soll, Krieges-Gebrauch nach, öffentlich an die Justitz geschlagen, und da er künfftig ertappet, auffgehencket vverden. Ex quibus colligimus, provisionalem 84. hanc pœnam desertorum qua nomina tantum patibulo affiguntur, non tollere capitalem pœnam, sed si aliquando desertor apprehensus fuerit, loco nominis, desertor ipse suspenditur.

Circa quæ tamen duo adhuc dubia mihi suborta: Primo: *an desertor in bello, si, sancita jam pace, deprehendatur, suspendendus sit?* Mihi affirmativa verior censetur; quia dicti articuli generaliter loquuntur, quod captus suspendi debeat, vel, ut loquitur Serenissimus Dux Brunsvicensis & Lüneburgensis, Georgius Wilhelmus, *d. art. 37.* si in posterum, sive aliquando, deprehendatur, quod suspendi debeat: In delictis enim puniendis semper attenditur locus, & tempus, commissi delicti. Lauterbach. *in Comment. Digest. tit. de Legibus. ff. 16.* Carpzov. *quæst. 54. n. 50. seqq. add. L. injuriarum 21. ff. de injur.*

Alterum dubium ejusdem farinae est. Videlicet: *An desertor deprehensus, postquam legio, vel turma, hodie, das Regiment, oder Compagnie, dimissa sit, capite adhuc puniri possit?* Quod iterum affirmo,

affirmo, dimissio enim exercitus, delicto suo posterior, ipsum nihil juvat, neque malitioso atque doli pleno ejus facto aliquem, vel minimum, conciliare potest colorem, cui sententiæ affirmativæ ipsam quoque praxin militarem suam addere calculum, testis est Hoyerus *in notis ad art. 33. Obur Fürstl. Brandenburg. K. R. p. m. 61.*

87. Ne vero quis arbitretur, ejusmodi severas animadversiones in transfugas, desertores, desertorumque occultatores, a legibus latas, vix naturali niti æquitate atque justitia, placet impræsentiarum pauculas, pro statuminanda hujus poenæ sanctitate, rationes atque fundamenta in medium producere, quarum princeps & primaria, quod ipse Deus poenas determinandas arbitrio principis subjecerit, qui illas pro salute Reipublicæ, vel acuire, vel lenire potest. Habet enim is jus & potestatem etiam gladio ferendi, i. e. vita privandi, maleficos, juxta expressum textum. *Rom. XIII. 4. Conf. Gerhard. Loc. de Magistratu §. 299. Schertzerus in Colleg. Anti-Socin. disp. 133. p. 1073. Et in Systemate Loc. de Magistratu §. 14. litt. s.* Cum ergo videat princeps ex desertione militum Rempublicam sæpe in summum conjici discrimen; quis enim ignorat, sæpe ab unica victoria salutem totius regni & provinciæ dependere, acies vero etiam unius desertione in discrimen conjici poterit, maxime, si desertorem, pessimi exempli autorem, plures sequantur; Hinc fuga ex acie capitali supplicio juste cohibenda.
89. Verum dixeris: Ergo extra aciem desertori capitale supplicium imponi non potest. Ast repono: extra aciem quoque periculosissimam existere fugam militum, milites enim ad defensionem Reipublicæ conscripti & lecti sunt, quibus aufugientibus, deficiunt, qui Rempublicam defendant; Sed provinciæ cedunt in rapinam hostium, devastationi patent, imo inversioni totius imperii; Regna & imperia hostibus sub-
90. jiciuntur, si milites perfidi, perjuri, ac desertores, existant; Nec est quod urgeas; poenam sufficere posse corporalem, vel mitiorem, quia hæc objectio in omnibus delictis objici posset, adeo-

adeoque nullum crimen capitis pœna afficiendum esset, quæ sententia non tantum Reipublicæ perniciosa foret, sed & Sacra adversaretur paginæ, in qua sola inobedientia pœna capitis punitur *Deut. XVII. v. 12.* ibi: *qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, aut NB. Judici, moriatur vir ille, & auferas malum de Israhel.* Ecce mors subeunda, si quis Magistratui, res licitas imperanti, obedientiam denegat; quanto magis ergo ultimum supplicium locum habebit, si tale quid injungatur, ex cujus omissione, vel commissione, salus totius Reipublicæ periclitatur. Accedit crimen perfidiæ, quod ipsum Jus Naturæ abhorret, inculcans, fidem datam esse servandam. Vid. Puffendorff. *de. J. N. & G. lib. 3. c. 4. §. 3.* Zieglerus *in not. ad. Grot. proleg. p. 2.* Grave enim est fidem fallere *L. 1. pr. ff. de Constit. pec. & moriendum potius, quam fides exuenda, juxta effatum vere Christianum, Gentilis hominis, Taciti, Annal. L. 1. c. 35.* Quod scelus quam detestabile DEO, atque hominibus existit, quilibet in Sacris Pandectis plagula testari potest. Quid dicendum, si huic sat grandi crimini accedat aliud grande delictum, violatio scilicet sacratissimi juramenti, quæ, ut plurimum, in milite desertore conspicitur: Num dubium adhuc restabit de pœna graviore ab ejusmodi perfido atque perjurio sumenda? Absit ergo, ut milites desertores, quibus per desertionem ubique obvia est peccandi & rebel-landi occasio, vana vel impunitatis, vel levioris saltem, pœnæ spe illactatos ultro ad ulterius delinquendum invitemus, ut potius per rigorosam pariter atque justissimam legum censuram, in tenacissimo officii militaris vinculo, constantes reddamus. Hæc legum sanctitas perpetuum securitatis munimentum; hæc salutis nostræ custos & vindex erit. Supponimus tamen in constitutione militari expresse dictatam esse pœnam capitalem, alias mitiorem dicitarem, nisi princeps ex salute Reipublicæ exemplum statuere velit, inferior vero judex secundum legem scriptam judicare tenetur. *L. 6. §. 2. C. ad L. Jul. de vi publ. Novell. 82. c. 10. Can. III. dist. 4.*

Deni-

96. Denique ab hoc capite non erit aliena quæstio satis ardua: *an desertor suspensus in patibulo, usque ad putredinem plenissime contractam, relinquendus sit?* Fateor, plurimos gravissimos viros detestari consuetudinem, qua fures jam suspensi, & mortui, insepulti relinquuntur. Vid. Antonius Matthæi *disputati- one peculiari de pœna furti. tb. 5. & seqq.* Didac. Covaruvius *lib.*
- 97.2. *variarum resolutionum cap. 1. n. 11.* Quorum ratio potior, quod per mortem, quam subiit delinquens, satisfactum sit justitiæ, ergo novam pœnam in cadaver non esse statuendam;
98. In quo conspirat Jus Canonicum *Can. quæsitum 30. Caus. XIII. quæst. 2.* Cui accedit non tantum generale mandatum de mortuis sepeliendis sed etiam speciale de suspensis eo die adhuc sepeliendis. *Deut. 21. v. 23.* ibi: So soll sein Leichnam nicht über Nacht an dem Holtze bleiben, sondern solt ihn deselben Tages begraben: Denn ein Gehenckter ist verflucht
99. bey Gott, subjecta ratione, ne terra coinquinetur. Tandem non levem sapit inhumanitatem, quod homo bestiis objicia- tur, maxime cum nulla utilitas inde redundare possit in Rem- publicam; quod enim de terrore scribitur, quod, eo percussii alii fures, a frequenti furti crimine avocentur per ejusmodi
100. cadavera suspensa, non stringit; Nam in longe gravioribus delictis v. g. homicidii, ne vestigium quidem relinquitur illius pœnæ, quam homicida sustinuit, sufficit enim famam vagari per orbem, quod homo occisus sit: Idem dicendum de furto & desertionis crimine. Vel si vestigia deterrere possint fures, erectio patibuli, mortem minantis, satis deterrere posset illos, qui deterreri possent.
101. His tamen aliisque nondum moveor, ut in castra transe- am Matthæi, sed firmiter mihi persvadeo, posse principem certo delicto privationem sepulturæ in pœnam dicitare, quia delinquens obligatus est, ut cadavere quoque suo Reipublicæ
102. utilitatem afferat, cui hactenus nocuerat, ut apparet in anato- miis, a Medicis institutis, in corporibus punitorum. Nec Sacra pagina ab hac pœna sepulturæ non factæ adeo abhorret, nam



nam & *Proverbiorum Cap. XXX, 17.* exstat; Ein Auge, das den Vater verspottet, das müssen die Raben am Bache aushacken, und die jungen Adler fressen: *ibique additur glossa D. Lutheri: Das heisset, an den Galgen kommen.* Quin & Josephus Praefecto pistorum *Gen. XL. v. 19. ex DEI instinctu praedixit, quod patibulo sit afficiendus, pabulumque futurus avium.* Ad-<sup>103.</sup> hanc legimus, DEum reconciliatum fuisse hoc supplicii genere, quod suspensi manserint insepulti, *2. Sam. 21. v. 9. 10. 12. 14. in fine.* Vid. plurib. Theodoric. *in Coll. Crim. cap. 10. Aph. 6. n. 9.*

Ad rationes vero supra adductas responderi posset, mor-<sup>104.</sup> te tolli delictum, ejusque poenam, nisi princeps expresse statuerit, ut post mortem quoque poena supersit, cujus exemplum habemus in crimine perduellionis. Locus vero *Deut. 21. v. 23.*<sup>105.</sup> typum continet in Christo, adeoque hodie cessat ejus prohibitio & maledictio. Ad tertium rehero: Nulla misericordia<sup>106.</sup> vel humanitate dignum esse, qui nulla, ne severissima quidem poena ad obedientiam principi praestandam adduci potuit. Ad ultimum repono: Patibula non sufficere ad deterrendos fures<sup>107.</sup> vel desertores, ergo majori poena opus esse, scilicet, ut corpora quoque maneant insepulta, quo magis enim horrendum est supplicium, eo magis delinquentes deterrere potest. Hinc concludo: Principem posse desertori praescribere supplicium ultimum, & in specie, ut corpus maneat insepultum. Praxis<sup>108.</sup> tamen hodierna communis recepisse videtur, quod militum cadavera, sive in patibulis, sive in arboribus, suspendantur, vesperi de furca, vel arbore, tolli, & terrae mandari soleant.

Quae de capitali poena desertorum dixisse sufficiat; tendi-<sup>109.</sup> mus ad tertium atque ultimum caput, quod differet de poenis reliquis, mitioribus tamen, desertoris exercitus militaris. Esto itaque

CAPUT III.

De Extraordinaria pœna militis defertoris.

SUMMARI A.

<p><i>Circumstantiæ variant rem n. 1.</i></p> <p><i>Aliæ autem rem aggravant, si scil. proditorius concurrat animus n. 2.</i></p> <p><i>Vel furtum. n. 3.</i></p> <p><i>Vel excubiarum desertio n. 4. &amp; 5.</i></p> <p><i>Vel muri transcensio n. 6. 7. 8.</i></p> <p><i>Quid juris in concursu delictorum remissive n. 9.</i></p> <p><i>I. An pœna ordinaria ad mortem extendi possit? remissive n. 10.</i></p> <p><i>Varie pœnæ extraordinariæ recensentur n. 11. seqq.</i></p> <p><i>Fustigatione honestior est percussio militum, quæ fit virgulis n. 12.</i></p> <p><i>Inustio patibuli in fronte desertoris pro &amp; contra, an licita, ventilatur. 15. seqq.</i></p> <p><i>Causæ mitigantes ad quinque re-ducuntur capita. n. 30. quarum</i></p> <p style="padding-left: 20px;"><i>I. Si miles non sit legitime le-ctus, vel fides ei data non servata sit, &amp; huc refero</i></p> <p style="padding-left: 20px;">(a) <i>Si vi vel illicitis mediis co-actus n. 31. seqq.</i></p> <p style="padding-left: 20px;">(b) <i>Si spes promotionis militi da-ta fallat n. 34. seqq.</i></p>	<p>(γ) <i>Si salarium promissum non solvatur n. 37.</i></p> <p>(δ) <i>Tempus servitorum effluxerit n. 40. 41.</i></p> <p style="padding-left: 20px;"><i>II. Si desertio Reipublicæ non sit dammosa, quo pertinet.</i></p> <p>(1.) <i>Si in pace aufugiat. n. 42. 43.</i></p> <p>(2.) <i>Si alium substituat. n. 44.</i></p> <p>(3.) <i>Si magna copia militum ba-beri possit n. 45.</i></p> <p>(4.) <i>Si tantum conatus fuerit au-fugere n. 46.</i></p> <p style="padding-left: 20px;"><i>III. Spes emendationis: huc tra-bo</i></p> <p>(a) <i>Vitam bene actam n. 47.</i></p> <p>(b) <i>Tyrocinium. 48.</i></p> <p>(c) <i>Furamentum nondum præsti-tum. n. 49. seqq.</i></p> <p>(d) <i>Primam desertionem. n. 51. 52.</i></p> <p>(e) <i>Secundum quosdam minorenni-tatem. n. 53. seqq.</i></p> <p>(f) <i>Pœnitentiam redeuntis. n. 59.</i></p> <p>(g) <i>Vel alios offerentis n. 60. 61.</i></p> <p>(h) <i>Vel oblationem a patre factam n. 62.</i></p> <p style="padding-left: 20px;"><i>IV. Privilegium, quo gaudent</i></p> <p>(1.) <i>Officiales n. 63.</i></p>
---	---

(2.) Con-

<p>(2.) <i>Concionatores bellici n. 64. seq.</i></p> <p>(3.) <i>Consiliarii n. 66.</i></p> <p>(4.) <i>Qui manus actu non conferrunt n. 67.</i></p> <p>(5.) <i>Voluntarii n. 68.</i></p> <p>(6.) <i>Non tympanotribæ &amp; tibicines. n. 69.</i></p> <p><i>V. Si externa aliqua causa ju-</i></p>	<p><i>sta vel probabilis desertionem urgeat, qualis</i></p> <p>(1.) <i>Fames n. 70.</i></p> <p>(2.) <i>Morbus 71.</i></p> <p>(3.) <i>Vis ab aliis illata n. 72.</i></p> <p>(4.) <i>Avocatio principis n. 73.</i></p> <p>(5.) <i>Si credat, bellum esse injustum n. 74. seqq.</i></p>
--	--

**V**idimus pœnam ordinariam desertorum, quæ est capitalis, <sup>1.</sup> & in specie patibuli; Verum cum in quolibet obveniente casu circumstantiæ diligenter sint considerandæ, *Struv. in Jurispr. Lib. 1. tit. 1. §. 9.* Theodoricus *in collegio Criminali. c. X. de Panis aph. 4. per totum.* cum circumstantiæ variant rem, *Barbosa in axiomatibus lib. 3. c. 19. ax. 1.* idem & in nostro deserto- <sup>2.</sup> re observandum erit. Sunt autem aliæ circumstantiæ, quæ desertionis crimen aggravant, ex quibus principalem, si scilicet animus proditorius concurrat, vidimus capite secundo.

Alia aggravans circumstantia est, si miles furtum fecerit, <sup>3.</sup> & cum furto simul militiam deseruerit, hic enim gravius puniendus est per verba Menandri in *l. non omnes 5. §. 2.* ibi: *qui desertioni aliud crimen adjungit, gravius puniendus, & si furtum factum sit, veluti alia desertio habebitur. ff. de R. M.* adeoque capitis pœnam non effugiet. Similis aggravans, si excubias de- <sup>4.</sup> serendo in fugam se conferat, nam sola desertio excubiarum pœna capitali afficitur de Jure Romano Vid. *l. 10. pr. ff. de R. M. Conf. Das Brandenburgische Kriegs-Recht Art. 28.* ibi: *Derjenige, so auff der Schild-Wacht schlåfft, oder gehet vor Ablösung weg, soll, ohne alle Gnade archibusiret werden. Holländisch K. R. art. 28. ibique Pappus in notis, ubi exemplo Imperatoris Augusti hoc illustrat.* Idemque statutum in articulis <sup>5.</sup> Constitutionum bellicarum Regni Polonici *art. 9.* ibi: *Circumspectori excubiarum liberum erit, excubias negligentem interficere, si autem Campi ductori oblatus fuerit, capitis pœna puniatur,*

*honoreque privetur.* Jus militare Svecicum Regis Caroli Gustavi conspirat *art. 43.* Qui ergo duplex delictum capitale commi-

6. serit, capitis supplicium non effugiet. Alia aggravans circumstantia est, si muros vel vallum transcendit, nam hic quoque capite puniendus est *L. Desertorem 3. §. 17. ff. de R. M.* Jure enim Romano hostile & abominandum erat, alia, quam per portas egredi via *l. si quis 11. ff. de divis. rer.* & licet moribus pœna capitalis in his, qui murum transcendunt, dicitari non solet, juxta Berlich. *decis. 70.* Struv. *in Jurispr. Lib. II. tit. 1. §. 12.* Franciscus Pfeil *lib. 1. Consil. 150.* Dn. Hoppius *Comment. 7. §. ff. 10. de Rerum Divisione.* In militibus tamen adhuc hodie pœna capitalis propter ejusmodi transensionem dicitari solet. Vid. Holländisch *art. 64.* ibi: Ein Soldat oder Befehlhaber, der nicht durch die Pforte und gewöhnliche Wege aus dem Lager, einer Stadt oder Vestung, gehet, oder hinein kommt, soll gehencket, und erwürget werden; Jus militare Svecicum Caroli Gustavi *art. 73.* & Brandenb. *art. 55.* corporalem & capitale dicitant, bey Leib- und Lebens-Straffe. Eademque verba repetita a Christiano V. Rege Daniæ *art. 91. &c.*

8. Hinc in praxi, si miles murum transcendendo militiam deserat, sine gratia patibulo affici solet, Vid. Casp. Matth. Schwarzen *decis. Milit, sub voce: Ausreiffere cas. XXII.* ibi: Christoff Woltkies, Thomas Harriges, und Wilhelm Giebs, Engelländer, die bosshafftiger weise auff flüchtige Füße sich begeben, ihre Compagnien verlassen, die Vestung bestiegen, und über dem Graben geschwommen, seind am 27. Aprilis in Stade condemniret worden, das sie mit dem Strange von Leben

9. zum Tode am Galgen zu bestraffen. Sed has, aliasque circumstantias aggravantes, ut & alias quæstiones, quæ circa concursum delictorum moveri possent, an scilicet pro singulis delictis aliqua pœna imponenda sit, an vero major absorbeat minorem? quod quidem regulariter affirmatur. Vid. pluribus Carpzov. *in Praxi Criminali quæst. 132. per totum.* Item, an pœna mortis quodammodo exasperanda sit? Carpzov. *d. l. n.*

56. & seqq. nunc deserimus, progrediendo ad pœnam extraordinariam desertorum, vel omnis pœnæ absolutionem.

Sicco etiam pede transeo controversiam, an pœna extraordinaria ad mortem possit extendi? Quod affirmatur per l. *sunt quædam* 9. ff. de *extraord. Crimin.* l. *hodie* 13. ff. de *pœnis* l. 7. §. *ult. ff. de Crimin. repetund.* lege tamen, quæ docet Petrus Theodoricus in *Collegio Crimin. Practico* c. 3. *apb.* 12. n. 25. & 26. Carpzov. Q. 119. n. 16.

Mihi hic extraordinaria audit pœna, capitali mitior, sive 11. sit fustigatio a carnifice illata, der Staub-Besen, siue fustigatio commilitonum, der Gassen-Lauff, oder Spiess-Ruthen, (quæ 12. pœna honestior creditur, & olim jam non adeo famosa existimata fuit; ramulis enim ex vitibus usa est antiquitas ad infligendam pœnam, ita, ut olim lege Romana sancitum esset: ut cives non virgis verberarentur, sed vitibus, ut ex Floro & Livio l. 57. refert Crusius de *indiciis Part. 4. c. 53. n. 25.* Sed moribus ramos salicum & corylorum substituunt.) sive infamiæ & 13. inhonestæ dimissionis, wenn ihnen der Degen zerbrochen, und sie als Schelme von der Compagnie weggejaget werden, sive manus, digitorum, narium vel aurium abscissio, vel stigmatis inustio, sive simplex relegatio, sive pœna pecuniaria, vel aquarum immersio, untauchen, membrorum distensio, wippen, asini lignei inequitatio, Eselreiten, acutissimorum 14. stipitum impositio, Pfahlstehen, hastarum molesta bajulatio, Picken tragen, iisdemque facta percussio, zwischen Picken geprügelt werden, & qui alii modi ad pœnam militarem excogitati sunt, de quibus plura haberem, quæ monere possem, nisi propositum esset hac vice intra terminos brevioris dissertationis me continere.

Unicum tamen adduco, quia præcipue ad hanc pertinet 15. materiam: *An scilicet licita sit inustio patibuli in fronte desertoris, vel nasi auriumque abscissio*, das ihm der Galgen vor den Kopff gebrant, und Nasen und Ohren abgeschnitten, und an den Galgen geschlagen werden? Si legem Constantini 17. *C. de Pœ-*

- nis inspiciamus, negativa defendenda esset, ne facies, quæ ad
16. similitudinem pulcritudinis cœlestis est figurata, maculetur. Et licet hæc verba non possint intelligi de imagine divina, in externa forma consistente, utpote quam sententiam Nostrates Theologi in ipsis Manichæis & Antropomorphitis, tanquam erroneam, damnant. Vid. Dannhauwerus in *Hodosophiæ Phænomen. V. p. m. 429.* Schertzerus *System. Loc. V. §. 3. in Erroribus adde Reinkingk de Regim. Sec. & Eccl. lib. 2. class. 1. c. 8. n. 10.* Intelligenda tamen sunt de eo, quod imago divina potissimum se exserat per caput & faciem hominis. Vid. Gerhard. *Loc de imagine div. §. 104.* quæ hinc potior pars hominis dicitur *l. 44. ff. de religios. & sumptib. funer.* Inde stigmatis inustionem nec hodie imponendam esse, docet Mynsing. *Cent. 2. obs. 46.* Maranta in *speculo aureo part. 4. dist. 2. n. 8. & 9.* Theodoricus in *Colleg. Criminali c. XI. apb. 4. n. 90. in fin. & 91.* Julius Clarus *receptorum sententiarum Lib. 5. §. fin. quæst. 70. n. 1.* qui Jul. Clarus loco stigmatis fustigationem dicitandam esse putat.
  18. Nobis tamen probabilior videtur sententia, quod & patibulum in fronte inuri, & nasus atque aures abscindi possint; quia perantiqua est pœna frontis inustio, juxta Crusium *de indicis part. 4. cap. 53. n. 27. ibique allegati,* & olim Jure Romano quoque obtinuit *l. 1. §. 2. ff. ad SCr. Turpill. ibique Gorbosfredus litt. O.* Hinc integræ frontis homo dicitur, cui nullum stigma inustum, *l. quæsitum scio 13. ff. de testibus,* ibi: *Integræ frontis homo: ibique Gorbosfredus in notis;* Nec sacris adversatur *Exod. XXI. 24. seqq.* ibi: *Auge umb Auge, Zahn umb Zahn, Hand umb Hand, Fufs umb Fufs, Brandt umb Brandt, &c.* quæ lex in novo Testamento a Christo non improbata est *Matth. V. 38.* Jus Canonicum quoque ab hac pœna non abhorret, dum vult in signum maleficii characterem aliquem esse imprimendum, quo delinquens inter alios cognoscatur *c. ad audientiam 3. X. de crimine falsi.* Verum, si in brachio vel tergo character imponeretur, cessaret ratio a Papa adjecta: *Quo inter alios cognoscatur.*
  21. Nec obstat ratio, quod in facie potissimum eluceat ima-

go divina, hoc enim impunitatem delinquentibus præstare non poterit, cum horum facies non tam DEI, quam Diaboli imaginem referat. Crusius *de indiciis part. 3. c. 2. n. 132.* Et licet 22. regeras; delinquentes seriam agere posse pœnitentiam: Repono tamen ex *l. 65. ff. de Furt.* quod sola pœnitentia nemo desinat esse delinquens; Et ex *l. 43. §. 4. ff. de Ritu Nuptiar.* quod infamia, semel contracta, non aboleatur ex eo, quod turpitude postea intermissa sit. Ad Legem vero obstantem 23. 17. *C. de Pœn.* respondeo: eam desuetudine esse adumbratam, stigmatis enim inustio in Saxonia aliisque locis usu servatur, teste Wesenbecio *tit. de Pœnis n. 7.* Schneidewin. *ad §. fin. F. de obligat. quæ ex delicto n. ult.* Reinkingk. *de Regim. Secul. & Eccl. lib. 2. Class. 1. c. 8. n. 8. & 9.* Stamm. *de servitutibus Personalibus lib. 1. tit. 3. c. 1. n. 9.* In specie vero in militibus ho- 24. die usitata, teste Weiperto Ludovico Fabritio *ad Mynsing. Cent. 2. obs. 46. circa finem*, ibi: *Et ipsum quoque in militibus hinc inde bodienum usque observari, ut ii, qui evaserint, loco ejus, quod suspendii pœna afficiantur, stigmate, patibuli habente formam, in fronte notentur, testis est experientia.* Consentit Hoyer. *ad Jus militare Brandenburgicum ad art. 46.* Et ipsa constitutio criminalis *art. 198.* aurium resectionem permittit, ibi: beyde Ohren abgesehnitten. Et nasi resectionem quandoque adhibitam 25. fuisse ex Rittershusio refert Dan. Clasen *ad d. art. 197. litt. C. in fine*; Quale præjudicium refert Schwartz, scilicet, quod Anno 1629. *d. 29. Maj.* Stade pronunciatum sit, Hermanno Anschwe & nasum, & aures abscindendas esse, *in decisionibus militaribus, sub voce; Ausreiffere Cas. XXVII.* ibi: *under deshalben, andern zum Exempel, mit Abschneidung Nasen und Ohren, durch den Scharfrichter anzusehen, und zubestrafen sey.* Et auricula- 26. rum incisionem antiquam pœnam esse, tradit Crusius *de indiciis part. 4. c. 53. n. 26.* quod credatur venam quandam ex utraque aure prominere, quæ γόνιμον contineat sperma, ejus venæ abscissione procreationis vis & semen prolificum submoveatur, ne pessimorum ejusmodi hominum posteritas ulla relinquatur, quod fieret, si quidem  
liberos

- liberos generarent.* Hæc totidem verbis adducit celeberrimus Reinkingk in *regimine Sec. & Eccl. lib. 2. Class. I. c. 8. n. 8.* Quæ tamen anatomicis & medicis & perscrutanda & decidenda re-
27. linquimus; Unicum hoc addentes, non tantum licitum esse, delinquentibus, & facinorosis maxime deperditis, & qui nullam spem melioris vitæ relinquunt, stigma inurere, vel auriculam abscindere, sed etiam salutare esse toti orbi Christiano,
  28. si hoc pœnæ genus in usum revocaretur, juncta relegatione, quo in exteris terris dignosci posset ejusmodi sceleratus, ut quisque sibi ab eo cavere possit; e contra simplex relegatio fati videtur periculosa, atque inhumana, dum ad exteros, & maxime ad Christianos, mittimus homines sceleratos, nullo
  29. adjecto signo sceleris; uti enim inhumanum est, civem, peste infectum, ad aliam mittere civitatem: ita etiam inhumanum, sceleratos viros in alienas mittere terras, cum revera inficere eas videamur.
  30. Circumstantias vero mitigantes, vel pœnam plane tol-lentes, ad quinque potissimum referre censeo capita: si scilicet (1.) Miles non sit legitime lectus, vel fides legendo data, eidem servata non sit; Vel (2.) si desertio Reipublicæ non sit damnosa; vel (3.) spes emendationis supersit; vel (4.) sit officialis, vel simili privilegio instructus; vel (5.) externa vi, vel alia probabili atque justa causa ad desertionem faciendam com-motus fuerit.
  31. Ad PRIMAM causam referimus (a.) *Si vi coactus sit ad mili-tiam subeundam*, Germanis, wenn er mit Gewalt geworben worden, qui enim vi coactus est, is fidem datam fefellisse dici non potest, cum fidem non dederit *l. sicut. 5. C. de obligat. & Act.* vel certe non libere dedit, hinc potius puniendus videtur
  32. is, qui ipsum vi coëgit. *Vid. edictum Serenissimi ac quondam Potentissimi Electoris Brandenburgici Friderici Wilhelmi, sub dato Clev. Anno 1665. d. 6. Oct. §. XI. ibi: Es soll sich auch kei-ner gelüsten lassen, jemanden, wer der auch sey, &c. zu Kriegs-Diensten zu zwingen, oder mit Gewalt aus Städten, Dörffern, oder*



oder auff öffentlichen Jahrmärckten, und Messen wegzunehmen, oder mit Schlägen, Prügeln, oder in andere Wege zu tractiren, &c. vwie denn auch dieses keine rechtmäßige und zulässige Werbung zu nennen, vvenn Leuten heimlich Geld beygestochen, oder von gemeinen Officirern, und Soldaten, Brüderschafft angemuthet vvirtd &c. Hinc probe monet Hoy-  
*erus in Jur. milit. Brandenburgico ad art 32. a iudice probe at-* 33.  
*tentendum esse: ob er zu dienen gezwungen vworden. Alios*  
*modos militum, cogendi addictos opificiis, die Handvvercks-*  
*bursche, sicco transeo pede, cum eadem juris decisio futura*  
*sit, quacunq; ratione coacti sint.*

Huc refero, (β.) *Si fides in legendo data militi non seruetur,* 34.  
*nam ad implementum contractus nemo cogi potest, si alter,*  
*cum quo contraxit, ex sua parte contractum non impleat, l.*  
*Julianus 13. §. 8. ff. de action. empt. & negotium revera jam initum*  
*revocare licet, si conditio quædam, qua initum negotium, non*  
*præstetur l. 14. ff. pro Socio, adeoque miles defertor nulla, vel*  
*exigua, pœna affici poterit, si fides ei data non seruetur. Modo* 35.  
*legitimo modo superioribus indicaverit, quod sub hac vel il-*  
*la conditione miles lectus sit, & quod alia ratione militiam*  
*sequi nolit. Deinde modo in hoc & priori casu tempore lu-*  
*strationis se non obligaverit, sine ulla contradictione, jureju-*  
*rando, alias ex nova voluntate obligatus videtur; si tamen de* 36.  
*pœna capitali agatur, & hoc casu eam mitigandam dixerim,*  
*cum Feltmanno in responso militari V. n. 17. cum notum sit,*  
*militibus vix integrum esse, injurias sibi illatas, publice profi-*  
*teri.*

Porro (γ) & ille casus huc spectat; *si salarium, ei promis-* 37.  
*sum, non fuerit solutum, EÆDEM* namque rationes, in prio-  
*ribus casibus adductæ, etiam huc quadrant; Nec juramentum*  
*a milite præstitum in contrarium urget, cum hoc quoque in-*  
*telligendum sit, si ab altera parte contractus seruetur, ejusque*  
*fides, per textum expressum in c. quemadmodum 25. X. de jure-*  
*jurando, cum ergo præfecti militum contractum ex sua parte*

- non impleverint, majori poena digni videntur, quam miles
38. defertor. *add. Pappus in notis ad Jus milit. Holland. art. 76.* ubi eleganter sequentibus verbis differit: Dies ist auffer allen Zwveifel, das im Kriege nichts fürträglichs sey, als das ein Capitain seine Soldaten vwohl bezahle, und auch vwohl straffe. Aber die Straffe kan nicht vorgenommen vwerden,
39. es sey dann, das zuvor gute Bezahlung geschehe. Et circa finem ex Michaelae Piccard refert, das zween böse Bräuche in unserm Kriege eingerissen sind: Erstlich, das keine gute Ordnung mehr ist in den Beuten, die sehr ungleich aufgetheilet vwerden, &c. Zum andern, das man den Soldaten ihr Monat-Geld nicht richtig und gebührlich bezahlet: daraus zveyfache grosse Ungelegenheit entsethet, ( $\alpha$ ) das ehrliche ansehnliche Leute den Krieg meiden, und sich fast niemand mehr dazu gebrauchen läst, als ein hauffen Müsiggänger und lumpen Leute, ( $\beta$ ) das man mit solchem unnützen Volck keinen Sieg ervverben kan. *Simile judicium sit* ( $\delta$ ) *in hoc casu: Si quis ad certum tempus servitia militaria promiserit; Et elapso tempore legitimo modo dimissionem petat, sed eam impetrare non possit, vel saltim petere non audeat.* Locatio enim ad certum tempus facta, tempore præterlapso, expirat, ita, ut novo opus
41. sit contractu *l. ne cui liceat 32. C. de locat. Conduct.* Et licet lex loquatur de locatione rerum, idem tamen dicendum de locatione operarum: adeoque, si miles defertor, tempore, ad quod operas locaverat, effluxo, aufugiat, ultimo supplicio affici non poterit, quia fidem non fefellit. *Farinac. Oper. Crim. part. 5. Qv. 113. n. 9.*
42. SECUNDA circumstantia mitigans est, *si desertio Reipublicæ non sit damnosa; quo refero primo; Si miles in pace aufugiat, quæ limitatio verbis expressis continetur in l. non omnes 5. §. 1. ff. de R. M. ibi: Qui in pace deseruit, eques gradu pellendus est, pedes militiam mutat; in bello idem admissum, capite puniendum*
43. *est; add. l. 1. C. de desert.* Excipias equidem, hanc aliasque limitationes juris Romani non esse repetitas in jure militari;
- Senten-

Sententiam vero secundum Jus militare, non secundum Jus Romanum ferendam; sed respondeo: Juris Romani tantam auctoritatem esse, ut Jus Militare suppleat. Zasius *ad l. prope-  
randum. versu; sin autem alteruter C. de judiciis n. 29.* Brunnem.  
*Cent. 1. decis. 15. Et ad L. 15. ff. de Legibus n. 6.* si non expresse re-  
periatur correctum.

Secundus Casus huc pertinens; *Si miles desertor alium sub-* 44.  
*stituat*, utut enim liberum non sit militi pro lubitu alium sub-  
stituere, cum tamen in nudis factis operarum locator, præ-  
stando interesse, liberetur *l. 13. in fine ff. de Re Jud.* Bachov.  
*ad. §. 4. F. de Jur. personar. n. 1.* Vinnius *ad §. 4. F. Eodem,*  
*in fine*, in tantum liberabit desertorem substitutio alterius mi-  
litis, ut pœnam capitis effugiat.

Tertius Casus sit; *Si magna copia militum haberi possit, ita,* 45.  
*ut in locum desertoris alii offerant suas operas.* arg. *l. sed addes 19.*  
*§. 9. ibi: si ab alio non accepisti.* Stricto equidem jure ultimum  
subeundum esset supplicium, cum tamen in plerisque delictis  
hodie simul attendatur, quantum damni afferant Reipublicæ,  
arg. *l. perspicendum pr. ff. de pœn. c. 21. C. 24. qv. 1. l. 16. §. even-*  
*tus ff. de pœn.* hinc & in nostro desertore, hoc casu, mitior  
obtinebit pœna, utpote quod clarius apparet.

In quarto casu, si quis conatus fuerit deserere v. g. si quis 46.  
ex porta abire & aufugere voluerit, sed ab illis, qui excubias  
agebant, detentus & in custodiam dejectus sit. Utut enim hic  
delinquens ad actum proximum pervenerit, & quantum in  
ipso fuit, actu militiam deseruerit, nihilominus ordinaria pœ-  
na desertorum capitali afficiendus non est, quia Respublica da-  
mnum revera non sensit, & quia generaliter in praxi receptum,  
quod conatus, etiam in gravissimis delictis non soleat ordina-  
ria affici pœna. Harprecht. *ad §. 5. F. de Publ. Judic. n. 263. Et*  
*n. 386. seqq. ibique præj. Farin. qu. 124. n. 78. seqq. Carpz. quæst.*  
*17. n. 13. ibi: licet conatus ad actum proximum fuerit deductus.*  
*Gail. de pace publica lib. 1. c. 14. n. 16. Finkelthaus observ. 86. n.*  
*12. seqq. Brunnem. ad l. 16. ff. de Sicariis.*

47. **TERTIA** Circumstantia, mitiorem pœnam inducens, est *Spes emendationis*, quo refero (1.) *vitam bene actam arg. l. 5. pr. & f. 6. ff. de R. M.* Ibi: *Si bonus miles antea æstimatus fuerit, hic enim magis ex impetu & imbecillitate quodam humana, quam ex dolo & proposito peccasse videtur.* Vid. Schwartz. in *decis. milit. sub voce Ausreiffere. cas. XIII. & XVII.* Ibi: Georg. Berend, ein Engelländer, ist ausgerissen, und am 30. Julii 1657. wieder ihm erkant vvorden, daß er, vveil von ihm noch Besserung zu hoffen, mit einem zvveymahligen Gassen-Lauff durch 200. Mann abzustraffen. *add. Tabor. Crim. Def. Pacem. ad art. 158. Constit. Crim. rb. IV. circa fin.*
48. Huc (2) *Tyrones traho L. 3. f. 9. juncta L. 4. f. fin. ff. de R. M. & L. 14. §. 1. Eodem. nisi iterato militiam deserant, sic enim pœna competenti afficiuntur, ut loquitur Modestinus in d. l. 3. f. 9. de R. M. & crimina commissa non nisi semel remissionem veniæ habent, juxta l. nemo 3. C. de Episcop. audient. non secus, ut vulnera iterata difficilius sanantur juxta Brunn. ad d. l. 3. de R. M. & hæc exceptio secunda in praxi quoque observatur, juxta Schvartzen *decision. milit. sub voce: ausvreiffere cas. XXIV. Conf. Pappus ad Jus militare Hollandicum ad art. 28. in fine.**
49. Et hujus occasione (3) quæro: *An miles, qui sacramento nondum est initiatus, extraordinarie puniendus sit, si militiam deserat?* Ordinaria quidem pœna constituta est in Maximil. II. Imperatoris Art. Br. *art. 72.* ibi: und Geld nehmen, ob sie vvohl bey diesem Eyde nicht sind, eben so vvohl solcher Eydes-Pflicht und Vollziehung aller obgeschriebenen Artickel verbunden und verpflichtet, als vvenn sie Persöhnlich bey diesem Schwveren gevvesen. Idem constitutum a Potentissimo Rege Daniæ Christiano V. *art. 191.* & Jure militari Hollandico *art. 82.* si tamen constitutiones bellicæ militi nondum fuerint traditæ, nec ab eo juramentum exactum sit, vvenn sie noch nicht der Fahne geschvvoren, mitior pœna dicitari solet. Hoyer. *ad Jus Militare Brandenburgicum art. 89.* qui tamen mitiorem pœnam

restrin-

restringit ad Tyrones. Verum in praxi etiam illi milites liberari solent, si juramentum ab iis nondum sit præstitum, prout præjudicio firmat Schvartz. in *Decisionibus militaribus*, sub voce: *Ausreiffere*. *Cas. XXVII.* ibi: Ob er nun zvvvar eingevvendet, dafs so den Eyd, &c. noch nicht geschvvoren, so ist dennoch vvieder denselben d. 21. Maj 1659. in Stade gesprochen vvorden, dafs vveil ihm als einem Unter Officirer, der NB. vorhin viel Jahr in Krieges-Diensten gevvesen, und der Krieges-Rechte nicht unkündig seyn könne &c. andern zum Exempel mit Abschneidung Nasen und Ohren durch den Scharffrichter anzusehen und zubeschaffen sey.

Simile iudicium sit (4) *Si prima vice desertor existat*, utut enim stricto jure capitis supplicium subeundum sit, si nulla alia concurrat circumstantia favorabilis, propter spem tamen emendationis mitior obtinebit per *L. 5. §. 3.* ibi: *Ex prima desertione restitui potest, iterum deserendo, capite puniendus est, ff. de R. M.* Quod vero desertori in urbe reperto, etiam prima vice, pœna capitis imponatur, ob hanc rationem fieri autumo, quod majori audacia delinquere videatur, qui manifesto delinquit, cum etiam fur manifestus gravius puniatur, *§. 5. §. de oblig. quæ ex delicto ibique* Dn. Hoppius in *Comment.*

Huc (5) refero *minorenem*, utut enim Jcti inter se non convenient, an minorennis, propter solam ætatem, capitale effugere possit supplicium, affirmativam defendit Tiraquell. *de pœnis temperandis causa 7. n. 6.* Menochius *lib. 2. de arbitrariis judicum quæstionibus Cent. 4. cas. 329. n. 11. §. 12.* Theodoricus in *Colleg. Criminal. c. 2. oph. 8. n. 2* Farinacius *quæst. 92. n. 172.* Brunn. *ad l. 1. C. Si adversus delictum n. 20.* E contrario propter solam ætatem minorem non esse excusandum tradit, Carpvov. *quæst. 143. n. 65. seqq.* Richter. *decis. 1. n. 60.* Brunnem. *ad l. 7. C. de Pœnis n. 3. seqq.* Struv. *Exercit. 48. tb. 11. in fine*, quæ sententia etiam nobis videtur esse verior *l. 9. §. 2. ff. de minorib. l. 1. C. Si adv. delictum suum*, item: *Constitutio Criminalis art. 164.* quod in militia eo minus dubii habet, si certi anni

55. constituti sint, a quibus militiae nomen profiteri possunt. Sic Athenienses milites recipiebant ab anno XVIII. Sigonius *de Republ. Atheniens.* lib. 4. c. 5. Romani olim Anno XVII. iuramentum militare praestari permittebant. Sigon. *de antiquo Jure Civium Rom.* lib. 1. c. 15. Postea annus XIX. substitutus est l. 1.
56. C. Theodos. de Tyronibus. In nostro corpore Juris nihil certi continetur, imo vestigium exstat, quod impuberes quoque
57. ad militiam fuerint admissi per l. fin. C. de testam. milit. In Sacris litteris Annus XX. constitutus erat Num. I. v. 3. ibi: Von zwanzig Jahr und drüber, was ins Heer zu ziehen taugt. Quoties ergo infra ejusmodi aetatem, constitutam a jure, vel consuetudine, miles est lectus, toties mitior obtinebit poena; Quoties vero eam aetatem implevit, licet adhuc minor sit XXV. annis, attamen, ultimum sustinebit supplicium, quia in mi-
58. litia quoad actus militiae habetur pro majorenni. In praxi propter minorennem aetatem aliquando mitior dicitari solet poena. Vid. Schwartz. in *Decision. milit. sub voce*, Aufsreiffere *Caf. XI.* nisi alia aggravans circumstantia concurrat, cujus exemplum refert Schwarz. d. l. *caf. XXX.* ibi: das, unange- sehen bey der Jugend, Adam Jürgens &c. mit dem Strange vom Leben zum Tode zurichten.
59. Huc refertur (6) *Si miles desertor, poenitentia ductus, redeat, vel se ipsum offerat, L. non omnes 5. pr.* ibi: *si fuerit ultro rever- sus, & §. 4.* ibi: *se obtulerit, ff. de R. M.* nec distinguitur, an per breve temporis spatium abfuerit, an vero post aliquot anos poenitentia ductus redeat, & se offerat, per l. *militis 13. §. fin. ff. de R. M.* Cujus ratio evidens, utut enim poenitentia nemo desinat esse delinquens, ut supra n. 22. monitum, adeo- que nec ab omni poena absolvendus sit, poenitentia tamen demonstrat spem emendationis, quae spes mitiorem operatur poenam.
60. Dein (7.) casus sit; *si alios offerat vel indicet desertores, per legem non omnes 5. §. fin. ff. de R. M.* quia ejusmodi desertor, vel transfuga, non tantum poenitentia adductus revertitur, & sic

fic spem emendationis facit, sed etiam maleficcium commissum alio beneficio compenfat. Simili modo in gravissimo crimine perduellionis perduelli, qui in exordio initæ factionis eam prodiderit non tantum pœna remittitur, sed & præmio & honore afficitur: Si vero sero, incognita tamen adhuc consiliorum arcana patefecerit, absolute ac venia dignus judicatur  
*l. Quisquis 5. §. fin. C. ad L. Jul. Majest.*

Casus (8.) sit: *Si Pater militem desertorem offerat*; hic enim eapropter mitius puniendus est, ne videatur a Patre ad supplicium oblatu, per *l. milites 13. §. fin. ff. de R. M.* quam singularem cautelam commendat Bouricius in *Enchiridio defensionum part. 1. c. 11. n. 135. Pinell. part. 2. rubr. Cod. de bonis matern. n. 32. Farinacius quæst. 98. n. 164. Tiraquell. de pœna temperanda Caus. 18.* & hanc legem ejusque §. finalem adhuc hodie in maleficiis, desertioni non admodum absimilibus, non absurde produci, docet Brunn. *ad d. l. 13. n. 3.*

QUARTA causa, extraordinariam pœnam urgens, est Privilegium, quo fruuntur (1.) *Officiales*, sive præfetti militum; hi enim si simplices sint desertores, pœna extraordinaria afficiendi *l. non omnes 5. Pr. ff. de R. M.* Conspirat Jus Polonicum *art. 3. ibi: Si quis e castris discesserit servitio non finito, nobilis ille si fuerit, honoris; plebejus vero, capitis pœna puniatur.* Rationem consistere puto in bene meritis, quæ minuunt delictum ejusque pœnam, modo non sit transfuga *vid. cap. II. n. 14. seqq. vel primus ex acie in fugam se conferat, de quo dictum Cap. II. n. 45. seqq. add. Jul. Clar. sentent. L. 5. §. fin. qv. 60. n. 25. Berlich. Dec. 371. n. 21.*

Ad privilegiatos refero (2.) *Concionatorem bellicum*, den Feld-Prediger, qui exercitui maxime necessarius, quoad celestem doctrinam & animarum salutem. Finckelthaus *obs. 46. n. 16.* & eo magis necessarius, quo pejor pessimorum hominum sentina in numerum militum recipitur, adeoque per desertionem concionatoris bellici, salus æterna militum in gravissimum conjicitur discrimen, hinc desertio capitali supplicio vindicanda

65. dicanda videtur. Mitio rem tamen & leuiorem pœnam concionatori bellico desertori dictitamus, quia non tantum inter honoratiores refertur, & qua dignitatem præfectis militum par judicatur, sed etiam insignia benemerita cura vigilantibus ac spiritali in milites exercitumque confert; quibus denique accedit, quod Concionator bellicus, si suum officium negligat, ultra relegationem puniri non soleat. Vid. Brandenburgisch. Kr. Recht. *art. 5.* Jus militare Svecicum Caroli XI. *art. 11.*
66. Simile iudicium sit (3.) de *Consiliariis bellicis*, denen Krieges-Räthen, item, denen Auditeurs, &c. nam hi quoque propter benemerita mitiori pœna affiendi. Bella siquidem non tam robore & viribus, quam prudentia & consilio instituuntur, geruntur, administrantur. *Proverb. XXIV, 6.* ibi: Mit Rath muß man Krieg führen. Vid. Finkelthaus *obs. 46. n. 17. ibique allegati.*
67. Imo (4.) generaliter concludimus: quod omnes illi, qui in acie manus cum hoste conferere non tenentur, a pœna desertorum quoque capitali sint liberati v. g. Medici bellici, Mercatores bellici, Marquetenter, aurigæ, item Commiss-Metzer, Schmiede, Rierner, &c. & qui alii commoditatis causa turmam sequuntur militarem, quia in stricta significatione non veniunt nomine militum, Finkelthaus *obs. 46. n. 20.* licet in latiori significatione, & generaliori, nomine militum gaudeant, & hinc ex humanitate privilegiis militaribus mactentur, Finkelthaus *d. l.* In odiosis tamen & capitalibus nomine militum non veniunt, quod apparet ex inscriptione iuramenti militaris, in iuramento militari Brandenburgico *art. 89.* ibi: Eyd der Officirer und Soldaten zu Ross und Fufs. Et Jus militare Svecicum Caroli XI. *art. 143.* ibi: So sollen alle Officirer und Gemeine zu Ross und Fufs, niemand ausgenommen, nachfolgen den Eyd, &c. ablegen. Equidem dicti homines, sine consensu ducis & dimissione legitima, militiam deserere non possunt. Et in iure militar. Belgico *art. 80.* etiam quoad pœnam subjiciuntur articulis militaribus. Verum hæc omnia intel-





intelligenda cæteris paribus, si scilicet articulus ad eos quadret, quæ enim disposita sunt de servitiis militaribus & equestribus, ad eos extendi non possunt, ut & nec illa, quæ de fuga in acie disposita, cum ad hoc constituti non sint, ergo & in simplici desertione mitiorem capitali merentur pœnam, nisi & hæc specialiter & nominatim eis sit imposita.

Voluntarios quoque milites (5) Desertores a capitali pœna liberamus. Equidem Hoyerus in *notis additionalibus ad jus militare Brandenburgicum art. 91. in fine* docet: Sonsten aber ist von der Observanz aller und jeder Articul, keiner ausgeschlossen, auch nach der heutigen Praxi nicht einmahl die Voluntairs, die sich bey einer Armee auffhalten, und aus ihrem eigenen Beutel dienen, weil dieselbe allemahl bey demjenigen Regiment, wo sie stehen, oder sich auffhalten, ihr forum agnosciren, und wenn sie gesündiget, nach denen Krieges- Articuln über sich judiciren lassen müssen. Dagegen sie dann auch ex observantia der privilegiorum militarium mit zugenieffen haben. Ad pœnam capitaleam tamen subeundam eos obligatos non esse, exinde probabile, quod Serenissimus Elector Brandenburgicus, Fridericus Wilhelmus, in jure militari in fine sequentia constituerit: Gestalt denn niemand, so lange er, als ein Krieges- Mann NB. unsere Löhnung und Sold empfänget &c. Von diesen Articuln liberiret, und befreyet seyn soll. Ex quo apparet, obligationem ex salario esse firmiorem, ea obligatione, quæ sit sine salario. Accedit, voluntarios sibi communiter reservare facultatem petendi dimissionem; Sie behalten sich Freyheit vor, allemahl ihren Abschied zu fordern, Limitamus tamen nostram sententiam, nisi sit transfuga, vel animo proditorio, sine dimissione, abeat, vel nominatim voluntariis quoque pœna capitalis sit constituta.

Tympanistæ tamen & tibicines mitiorem pœnam excipere non possunt, quia accipiunt ( $\alpha$ ) salarium, ( $\beta$ ) præstant juramentum militare, ( $\gamma$ ) eorum opera præcipue neces-

saria in expeditione & conflictu hostium, cum per eorum sonitum & strepitum exercitus regatur, hinc eodem, quo signifer, modo, puniendi, si signa & Centurionem suum deserant.

70. QUINTA Causa, si externa aliqua necessitas desertionem urgeat. Vide Serenissimi Elect. Brand. FRIDERICI III. edictum contra desertores sub dato Colln an der Spree den 2. April. Anno 1691. Ibi: So vernehmen wir doch mißfällig, daß denenselben zuwieder, eine Zeithero verschiedene Soldaten NB. ohne eintzige habende Noth und Ursache, außgerissen &c. ex quo a contrario sensu, (quæ fortissima dicitur argumentatio l. 1. pr. ff. de officio ejus, cui mandat.) sequitur, quod necessitas & justâ causa desertorem a pœna capitali liberet, quo referimus

(a) Famem, quia durissima est necessitatum, juxta Josephum lib. 6. de bell. Jud. c. 14. add. Constitur. Criminal. art. 166. Idemque statuimus, si necessariis vestimentis non sit instructus. Vid. Hoyerum in notis ad jus militare Brandenburg. art. 32. ibi: Ob der Ausgerissene aus Hunger, Näckte und Blöße weglauffen müssen, &c.

71. (b) Huc refer morbum, si valetudine coactus exercitum deseruerit, utut enim hic consensu ducis abire debuisset, & hinc ab omni pœna non sit liberandus, maxime si recepta sanitate non redeat, mitiori tamen pœna afficiendus erit, quia initio ex probabili & necessaria causa exercitum deseruit; Morbus enim ad servitia militaria homines reddit ineptos, & hinc liberat ad servitia obstrictos a servitiis per l. 15. pr. & l. 17. ff. de operis libert. In specie vero emanationis pœnam tollit l. 4. §. fin. ibi: & datur venia valetudini ff. de R. M. & licet textus emanationis casum solummodo citet, non tamen ambigendum, quin desertio eandem ob causam subinde etiam subintelligatur, ut loquitur Crusius de Indiciis Part. 1. c. 89. n. 10.

Huc

Huc refero (γ) casum: *Si desertor ab aliis coactus in fugam se contulerit*, wenn die andern ihm mit blossen Gewehr gezwungen mitzulauffen, & metu delinquentem ab omni proflus pœna liberat Julius Clarus *sententiarum lib. V. §. fin. quæst. 60. n. 17.* & quos allegat Tiraquellus *de pœnis temperandis Caus. 36. n. 2.* Cujus evidens exemplum in vi stuprata, Carpz. *quæst. 75. n. 12. juncta l. fœdissimam 20. vers. quin etiam C. ad L. Jul. de adult. Carpzov. d. l. n. 78.* Alii vero extraordinariam pœnam metu ad delinquendum coacto imponunt, Tiraquellus *de pœnis temperandis Caus. 36. n. 4.* Carpzov. *quæst. 18. n. 50.* Lauterb. *in Comment. ff. quod metus causa. §. 2. in fine.* Nos brevitatis studio distingvimus, an aliqua culpa concurrat, vel in deserendo, vel in non-redeundo, & pœnam extraordinariam locum habere censemus. Si vero nulla culpa concurrat, sed desertor coactus firmum habuerit propositum redeundi, quamprimum a vi externa liberatus fuerit, eum ab omni pœna liberandum esse credimus.

Ad externam quoque causam (δ) referimus *justam avocationem Principis*: Germanis enim permittitur militiam exterorum sequi: Nec tantum privatis, sed etiam ipsis statibus Imperii & principibus, *vid. capitul. Leopold. Art. 16.* ibi: Es soll jedoch auch keinem Reichs-Stand oder Eingefessenen verboten seyn, sich bey Auswertigen in Krieges-Diensten zubegeben. Si tamen bellum postea ab Imperio & Imperatore declaretur injustum, & litteræ avocatoriæ ad ejusmodi militantes mittantur, dimissionem petant, & si eam impetrare non possint, sine ulla pœna militiam deserere possunt. *Vid. l. 3. C. qui militar. poss. §. 1. 14. C. de R. M.* Nec nocet hoc casu juramentum militare Gail. *lib. 1. c. 4. n. 15.* in quo capite pluribus agit de literis avocatoriis. Reinking. *de Regim. Sec. & Eccl. lib. 2. Class. 3. n. 17.* qui tamen hoc limitat. *n. 24.*

Simile judicium fit (ε) *si miles certus sit, bellum esse injustum.* 74. & hoc nomine dimissionem petat, ea vero non impetrata, militiam deserat;


- deserat; quem ab omni poena absolvimus, quia in bello injusto operas praestare non debet, arg. 2. Feud. 28. pr. ibi: sed cum palam est, quod irrationabiliter guerram facit, ad offendendum alium,*
75. *non adjuvet. Et in eo omnes conveniunt. Verum in dicto textu opera quoque desideratur, si princeps in defensione sit constitutus, licet bellum sit injustum d. pr. ibi: adjuvet eum ad ejus defensionem. Rationem ponunt in favore defensionis, Rosenthal in Synopsi Feudali c. 8. concl. 20. n. 5. litt. b. Schrader de Feudis. Part. VI. c. 6. n. 26. quod restringit Struv. in Syntagm. Feud. c. 11. apb. 7. n. 7. si Dominus vel princeps*
76. *in magno periculo constituatur. Verum nos, salva aliorum autoritate, generaliter statuimus, quod miles nec in bello defensivo principi operas praestare debeat, cum Zieglero de jur. Majest. lib. 1. c. 33. §. 63. & 66. ibi: Ego nullam hic facio distinctionem inter vasallum & alios subditos, neque distingvo inter bellum defensivum & offensivum, &c. Rationes discursui*
77. *reservamus. Si dubia justitia abstinendum esse docet Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 26. §. 4. n. 4. & multis seqq., quae sententia admittitur, si alicui liberum arbitrium admittitur, alias non. Gerhard. in Locis Theol. Loc. de Magistr. §. 399. Ziegler. d. l. §. 67. maxime cum in praxi praetextus belli tanto cum elogio sumatur, ut justitiam strenue mentiatur, quisque enim bellum sacrum atque justum praedicat.*
78. *Plura addi, v. g. An impunitus, qui amisso vexillo aufugiat. Vid. Burger. observ. milit. cent. 2. obs. 20. Adductaque plenius deduci potuissent, sed hac vice, peractis DEO gratiis, lubet subsistere, atque huic exercitationi Academicæ imponere*

F I N E M.

☀ ) ○ ( ☀

Pol. 8. II. 1232-1233

IN




# IN CURRICULO VITÆ

## Sequentia sunt corrigenda.

- Pag. 10. lin. 31. *lege*: Georgio III.  
Pag. 12. lin. 22. *lege*: Palatinatum.  
Pag. 13. lin. penult. *lege*: confectis.  
Pag. 16. lin. 11. *lege*: infra.  
Pag. ibid. lin. 13. *lege*: 1668. non 1688.  
Pag. 24. lin. 14. *lege*: Hanckio.  
Pag. 25. lin. antepenult. *lege*: Schützi.  
Pag. 27. lin. 13. *lege*: Veltheimii.  
Pag. 32. lin. 31. *lege*: motu.  
Pag. 35. lin. 7. *lege*: Conrado.  
Pag. ibid. lin. 24. *lege*: Anissum.  
Pag. 43. lin. 23. *lege*: nisi calleremus laudis.  
Pag. 51. lin. 3. *lege*: quinquagesimum primum.  
Pag. 52. lin. 13. *lege*: lætioris.  
Pag. 54. lin. 4. *lege*: iter non iterum.  
Pag. 58. lin. 1. *lege*: charissimum.  
Pag. 59. lin. 8. *lege*: matrona, non Virgine.

*Cætera, quæ aciem oculorum forte subterfugerunt, pro Tua B.  
L. humanitate emendabis.*



IN CURRICULUM

Specimens line column

Page 10 in 21. 1875; George H. ...  
 Page 11 in 21. 1875; ...  
 Page 12 in 21. 1875; ...  
 Page 13 in 21. 1875; ...  
 Page 14 in 21. 1875; ...  
 Page 15 in 21. 1875; ...  
 Page 16 in 21. 1875; ...  
 Page 17 in 21. 1875; ...  
 Page 18 in 21. 1875; ...  
 Page 19 in 21. 1875; ...  
 Page 20 in 21. 1875; ...  
 Page 21 in 21. 1875; ...  
 Page 22 in 21. 1875; ...  
 Page 23 in 21. 1875; ...  
 Page 24 in 21. 1875; ...  
 Page 25 in 21. 1875; ...  
 Page 26 in 21. 1875; ...  
 Page 27 in 21. 1875; ...  
 Page 28 in 21. 1875; ...  
 Page 29 in 21. 1875; ...  
 Page 30 in 21. 1875; ...

Curriculums line column  
 1875

( )  
 1875